IHS

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
11 C
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

49.5.18.

14
4
D
14

49
C
18.

49

V.

Digitized by Google

Digitized by Google

MARCI DVNCANI, PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA SALMVRIENSI PROFESSORIS,

INSTITVTIONIS LOGICÆ LIBRI QVINQVE.

Titulos librorum & capitum doctrinæ in illis comprehenſorum primæ poſt Epiſtolam dedicatoriam pagellæ indicabunt.

SOC.IESV.BIBL.SEC.COLL.ROM.

SALMVRII,

Ex Typographia Thomæ Portæi,

1612.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRI VIRO, DOMINO PHILIPPO MORNAYO

PLESSIACI MARLIANI DOMINO, CHRISTIANISSIMI REGIS in ſacro Conſiſtorio Conſiliario, Cataphractorum turmæ ductori, Salmurienſis ditionis Præſidi, Domus Regiæ Navarrenæ Præfecto,

Regiæ Salmurienſis Academiæ patri optimo,

MARCVS DVNCANVS.

LIbros meos de Inſtitutione Logica in lucem publicam enitentes ad te, Domine, primum mitto: non auſuros tuum ſibi orare patrocinium: habituros tamen, ſi me-

rentur, qui tuus eſt in litteras amor, eas vero maximè quæ Academiæ huius, nempe filiæ tuæ, proſperitati conſecratæ ſunt. Si non merentur, per tuam nihilominus indulgentiam obtingere poteſt ut ferant, meæ autem non convenit verecundiæ ut petant. Frontem enim ei periiſſe oportet qui te improba ſcripta libenter in clientelam recepturum præſumat, niſi fortè ſub ea conditione qua Sylla malo poëtæ præmium tribui iuſſit, videlicet ne quid poſtea ſcriberet. Vis ergo dicam quo animo eos ad te miſerim? eodem planè quo inſanus aleator totum primo iactu patrimonium effundit, dives futurus ſi bene ceciderit; ſi contrà, habiturus ſaltem hoc miſeriæ levamentum, quòd citò factus ſit miſer. Iudicio enim tuo, qualecunque erit, defuncti audaces circumcurrent, nec erit cur aliorum iudicia reformident. Si enim à te probati, quid alii poſtea cenſebunt non admodum laboro, cum in illis conſcribendis non famæ, ſed officio & bonæ conſcientiæ operatus ſim: nempè ut

diſcipulis meis dictatorum quotidie excipiẽdorum parte aliqua laborem minuerem, & ut hoc ſpecimine adminiſtrationis meæ rationem aliquam tibi, ut par erat, redderem. Sin verò cenſoriâ tuâ virgulâ notati, ipsâ continuò deſperatione fiam omnium iudiciorum ſecurus: nam ut ait ingenioſiſſimus poëtarum,

------dum peiora timentur
Eſt locus in votis: ſors autem ubi peſſima rerum eſt
Sub pedibus timor eſt, ſecuraque ſumma malorum.

Vtrovis tamen modo acciderit, ſpondeo nihil Academiæ deperiturum mea culpa. Tuum enim iudicium, qualecunq;, mihi ſtimulus erit ad fidelem & ſtrenuam operam indies magis magiſque Academiæ navandam: efficiamque (σὺν θεῷ) *ut comperiar in munere meo ſi non feliciter, certè fideliter verſatus, quæ laus eſt priore non minor.* *Vale.*

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM INSTITVTIONIS LOGICÆ, & Capitum doctrinæ in illis explicandorum.

Prolegomena de natura Logicæ, & quomodo ſeſe habeat ad Philoſophiam.

Cap. I. Quid ſit ſapientia, & quid Philoſophia. 1.

II. Quot ſint partes Philoſophiæ, & an Logica ſit eius pars. 4

III. Quid ſit Logica, & quot ſint eius partes. 12

Liber Primus, de Themate ſimplici, ſive περὶ τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων.

Cap. 1. Thematum diviſio in ſimplicia & cōplexa, & notionum in primas & ſecundas. 23

II. De ſingularibus, univerſalibus, tranſcendentibus, & determinatis. 26

III. De Genere, Specie, & Differentia. 30

IIII. Quid ſit Categoria, & quot ſint. 36

V. De ſubſtantia. 42

VI. De Quantitate. 48
VII. De Qualitate 56
VIII. De Relatis. 64
IX. De reliquis ſex Categoriis. 70
X. Quæ Categoriæ quibus diſciplinis maximè reſpondeant,& quomodo ad categorias revocanda ſint quæ per ſe & primariò in Categoriis locum non habent. 78
XI. De quinque Prædicabilibus. 81
XII. De Toto & partibus, Cauſa & effecto, ſubiecto & adiuncto. 90
XIII. De oppoſitis. 101
XIIII. De Priori, Poſteriori, & Simul 109
XV. De Nomine & Verbo. 113
XVI. De Nominibus & verbis finitis & infinitis: deque homonymis & ſynonymis, & ſuppoſitionibus. 117
XVII. De coniugatis & caſibus, nominibus primitivis & paronymis. 127

Liber ſecundus de Themate complexo ſive de Enunciatione.

Cap. I. QVid ſit Enunciatio,& ex quibus unaquæque partibus conſtet. 131
II. De ſpeciebus enunciationis. 135
III. De quantitate enunciationis: item de qualitatibus affirmandi & negandi: deque Enunciatione finita & infinita. 142
IIII. De Veritate & falſitate & gradibus neceſ-

ſitatis enunciationum. 147
V. De æquipollentia, ſubalternatione, & converſione enunciationum. 155
VI. De oppoſitione enunciationum. 162

Liber Tertius, de inſtrumentis tractandi Thema ſimplex ſive de Definitione, & Diviſione,

Cap. I. QVid ſit definitio, & quotuplex. 167
II. Inveſtigatio definitionis: Item regulę definitionum generales:& quę perfectæ definitionis capacia ſint, quæ autem non. 174
III. Quid ſit diviſio & quotuplex. 183
IIII. Regulæ diviſionum. 188
V. De ſcientiarum & artium conſtitutione per diviſionem. 191

Liber quartus, de inſtrumento tractandi Thema complexum, ſive de Syllogiſmo.

Cap. I. QVid ſit ſyllogiſmus,& ex quibus partibus conſtet. 196
II. De tribus Syllogiſmorum figuris, & modis in earũ unaquaq; benè concludendi. 204
III. Canones formæ ſyllogiſticæ. 213
IIII. De perfectione primæ figuræ, deque ſecundæ & tertiæ declaratione per reductionem ad primam, & per ſyllogiſmum expoſitorium. 219

V. Appendix de inveſtigatione medii. 233
VI. De Syllogiſmo hypothetico. 236
V*II*. De *I*nductione, Exemplo, Proſyllogiſmo, Dilemmate, & Sorite. 245

Liber quintus, de finibus vel effectis syllogiſmorum, ſive, de syllogiſmo Didaſcalico & Dialectico.

Cap, I. Quid ſit ſcientia, & quid Demõſtratio, & quotuplex ſit utraque. 257
II. De Demonſtratione τοῦ διότι. 264
III. De Demonſtratione τοῦ ὅτι. 280
IIII. De natura Syllogiſmi Dialectici. 283
V. De inventione medii Dialectici, ſive de Locis & Maximis. 288
V*I*. De conflictu Dialectico. 304
V*II*. De Sophiſticis elenchis qui ſunt in dictione. 308
V*III*. De Elenchis Sophiſticis qui ſunt in rebus ipſis. 317

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLEGOMENA,

DE NATVRA LOGICÆ, ET QVOMODO SESE HABEAT AD Philoſophiam.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit ſapientia, & quid Philoſophia.

1. *Sapientia eſt rerum divinarum & humanarum ſcientia.*

HÆC definitio Stoica eſt teſte Plutarcho 1. de Placitis Philoſoph. eandemque Platoni adſcribit Alcinous Inſtitut. ad doctrinam Platonis c. 1. *Rerum divinarum & humanarum*, id eſt omnium. Nomen enim ſapientiæ dupliciter

propriè ſumitur: Primò pro univerſali & abſoluta mentis perfectione, quę non in unius ſcientiæ habitu conſiſtit, ſed in collectione plurium, quas capite proximo ſequẽte enumerabimus, & hoc ſẽſu in pręſentia definitur: Secundò pro ſciẽtia rerũ pręſtantiſſimarũ quę Theologia & prima Philoſophia nuncupatur, ut & infra dicemus: eſt & tertia quędã huius nominis acceptio, ſed minùs propria, qua eximius quilibet & nobilis artifex in ſuo genere ſapiens appellatur, Ariſt. 6. Eth. c 7. Per oppoſitas illas appellationes *rerum divinarum & humanarũ* nõnulli ſignificari putãt res immateriales, & materiales: alii res ſempiternas, & caducas: alii denique (quibus ego ſubſcribo) res divinas dici volunt Deum & quæcunque à Deo atque natura, non autem à voluntate humana dependent; humanas verò, quę ab humana voluntate & conſilio, ut ſunt actiones & mores. Ita Seneca Epiſt. 90. *Sapientia totius naturæ notitiam, & ſua tradit.* Iuriſprudentia quoque in Inſtitut. Iuſtinian. tit. de iuſtitia & iure, definitur *divinarum et humanarum rerum notitia, juſti & iniuſti ſcientia*; ſed alio ſenſu, nempe res divinæ ſunt ſacra, ritus, & ceremoniæ in cultu divino obſeruandę; humanæ autem ſunt negotia civilia. *Scientia*) id eſt cognitio perfecta, cognitio rei ut eſt, adeoque rerum cauſas habentium cognitio per ſuas cauſas, vide definitionem ſcientiæ lib. 5. c. 1.

2. *Philoſophia eſt rerum divinarum & humanarum notitia quanta humano*

ſtudio & commentatione acquiri poteſt.

Si nomen interpretemur, Philoſophia eſt ſapiẽtiæ amor & ſtudiũ: *ſapientia*, inquit Seneca epiſt. 89. *eſt perfectum mentis humanæ bonum: Philoſophia eſt ſapientiæ amor et affectatio: hæc oſtendit, quò illa pervenit.* Si rem ipſam ſpectemus Philoſophia eſt ſapientia, non ἁπλῶς, ſed humana, id eſt inchoata ſed non abſoluta. Sapientia enim humana & ſapientia ἁπλῶς differunt dupliciter: Primò extenſione, quia homo non poteſt ſcire ſingula, ſed tantùm genera & ſpecies rerum, & quis omnes rerum ſpecies? *excute pectus tuum, quiſquis es, invenies cuncta quæ noſti ſi ad ignorata referantur eam proportionem habere quam collatus Oceano rivulus æſtivis ſiccandus ardoribus*, ut ait Fran. Petracha in lib de contemptu Mundi: immò ſapientiſſimus mortalium dicere non erubeſcat cum Solone, γηράσκω δ' ἀιεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Secundò intenſione, quia omnis ferè noſtra cognitio in opinionibus potius quàm in perfecta ſcientia conſiſtit. Quarę Pythagoras humanæ conſcientiâ infirmitatis impulſus, cùm cæteri eiuſdem ſtudii ad id tempus ſophi dicti eſſent, ſophi nomen uni Deo convenire aſſerens, primus ſe philoſophum eſſe profeſſus eſt: cui adſtipulatur Plato in Phædro ſub perſona Socratis, & Ariſtoteles 1. Metaph. c. 2. Philoſophia ſecundum Platonem eſt *avulſio animi à corpore cùm ad intelligibilia & verè entia convertimur*, Alcinous c. 1. vel, *eſt commentatio mortis* ut ait Cicero 1. Tuſcul. Animũ enim abducit à corpore duobus mo-

Digitized by Google

dis: primò cùm eum à voluptate & corporis obſequio per pręcepta moralia avocat: ſecundò cùm eum tollit ſupra ſenſum & phantaſiam ad univerſales & abſtractas notiones, & ad contemplationem incorporeorum & ſenſui non obnoxiorum. Atque hæc mors eſt vita quædam cœleſtis & ἀποθέωσις, qua homo mortalis naturæ viribus ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζει, id eſt *quatenus fieri poteſt ſeſe in immortalitatem aſſerit*, ut loquitur Ariſt. 10. Eth. c. 7. Intelligibilia & verè entia opponit Plato ſenſibilibus, caducis, & fluentibus: hæc enim apud eum non verè entia, ſed fugaces entium umbræ & imagines dicuntur.

CAPVT. II.

Quot ſint partes Philoſophiæ, & an Logica ſit ejus pars.

1. *Philoſophia ſecundum Platonicos & Stoicos tripertita eſt: Logica ſive Rationalis quam aiunt circa rationem & orationem verſari; Ethica ſive Moralis quæ de ſummo bono & de vita bene agenda præcipit; Phyſica ſive Naturalis quæ naturam univerſam, hoc eſt Deum & Mundum & quæ in eo*

ſunt contemplatur.

Vide Plutarch. 1. de Placitis Philoſoph. Senecam Epiſt 89. Ciceronem 4. de finibus & alibi paſſim, Alcinoum c. 3. & Diog. Laertium in vita Zenonis, ubi harum partium uſus variis ſimilitudinibus exprimuntur, ex quibus hæc mihi maximè arridet: *Philoſophiam ſimilem eſſe agro* παμφόρῳ *id eſt omnium feraci: ſepem circumiectam Logicam eſſe; fructus Ethicam; terram et arbores Phyſicam.* Nam Moralis Philoſophia & naturalis *quaſi ſepimento aliquo vallantur diſſerendi ratione*, ut ait Cicero 1. de legibus. Cæterùm quod Logicam Stoici dicunt verſari partim circa rationem, partim circa orationem de eo videbimus capite proximè ſequente.

2. *Philoſophia ſecundum Peripateticos bipertita eſt: Theoretica ſive Contemplativa; & Practica ſive Activa.*

Huius partitionis rationem hanc reddit Plutarchus loco iam bis à nobis citato, ἀναγκαῖον τὸν τέλειον ἄνδρα καὶ θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων, καὶ πρακτικὸν τῶν δεόντων, id eſt *virum perfectum oportet & contemplatorem eſſe entium, et actorem decentium.* Sic & ante eum Cicero ſcripſerat, *hominem ad duas res, ut ait Ariſtoteles, intelligendum, & agendum eſſe natum, quaſi Deum mortalem.* Vide & Senecam lib. de vita beata c. 31. Homo igitur in ampliſſimo hoc mundi theatro à Deo conſtitutus eſt, ut ſit non tantùm ſpectator ſed etiam actor. cùm autem duo ſint

actionum humanarum principia (teſte Ariſt. 6. Eth. c. 2.) intellectus & appetitus; ille Philoſophiâ perficitur; hic virtutibus Moralibus, quę non ſunt partes, ſed fructus Philoſophiæ. Et ut oculi hominibus dati ſunt non tãtùm ad Solem, Lunã, & cætera ſydera ſpectandum, gaudiumq; ex pulchrorum intuitu capiendum; ſed etiam ut ſint pedum duces ne fortè in foveam aut puteum incidamus: ita intellectus datus eſt non ut ſibi ſolùm intelligat, & in veritatis ſpeculatione acquieſcat; ſed etiam ut appetitum ſibi conſociatum ducat & dirigat, & ad boni atque mali diſcretionem ſeſe promovens facienda ac fugienda præſcribat. Vna ergo Philoſophiæ pars intellectum perficit quatenus ſibi vacat, altera eundem quatenus appetitum regit & moderatur: illa Theoretica, hæc Practica appellatur, ut ex ſubiecto hoc aphoriſmo patebit.

3. *Theoretica Philoſophiæ pars eſt cuius unicus finis eſt cognitio ſui obiecti. Practica eſt in qua cognitio quærenda eſt propter actionem. Atque hæc in rebus Philoſophicè contemplandis finium diverſitas oritur ex naturali rerum diverſitate: quæ enim à Deo & natura dependent à nobis autem effici aut agi nequeunt, earum cognitione contentos nos eſſe oportet: quæ autem à noſtra volun-*

tate dependent & ſub actionem cadunt, earum cognitio propter actionem quærenda eſt. Actionem autem iam ſumo pro operatione ſecundum quam dicimur boni vel mali.

Exempli gratia. Aſtronomia ſub Theoretica Philoſophiæ parte comprehenditur, quoniam eius finis ultimus & unicus eſt cognitio magnitudinis, figuræ, & motus corporum cœleſtium, ut pote quæ effici à nobis non poſſunt: ſed explicatio virtutis eſt practica, quia cognitio virtutis quærenda eſt non ſui gratia, ſed ut mores noſtros præceptis conformemus & cognitioni partæ convenienter vivamus, ut ait Ariſt. 1. Eth. c. 3. & 10. Eth. c. ultimo. Hîc igitur cavẽdum eſt ne confundamus ſcopum & propoſitum diſcentis cum proprio & naturali diſciplinæ fine. Nam queę per ſe Theoretica eſt à nonnullis quæritur propter finem externum, ut Phyſica propter artem medicam, Aſtronomia propter nauticam aut agriculturam, Geometria propter artem militarem: non tamen idcirco Phyſica per ſe & eſſentialiter ad medicam, Aſtronomia ad nauticam aut agriculturam, Geometria ad artem militarem ordinata eſt. Sic & nimis multi Ethicæ ſtudio ſeſe addicũt ad tempus, non ut mores conforment, ſed tantùm ut animos informent, nec ut meliores, ſed tantùm ut doctiores evadant: non tamen propterea Ethica Theoretica eſt. *Actionem autem, &c.*) Praxis ſive actio

non ſemper eodem ſenſu apud Philoſophos uſurpatur; vide varias eius acceptiones capite proximo ſequente, ubi oſtendimus Logicam eſſe de numero diſciplinarum practicarum ſive directricium: nunc ſatis eſt monere eam quatenus Philoſophiæ Moralis ſive Practicæ finis eſſe dicitur ſumi prout reſtringitur ad vitam & mores.

4. *Theoretica Philoſophiæ pars dividitur ab Ariſtotele 6. Metaph. c. 1. in Theologiam ſive primam Philoſophiam vel Metaphyſicam, quæ circa entia incorporea & rationes corporeis atque incorporeis communes verſatur: Phyſicam, quæ corpora horumque principia atque affectiones explicat: & Mathematicam, quæ circa ea occupatur quæ in corpore quidem exiſtunt ſed abſque corpore intelliguntur, ut eſt numerus de quo Arithmetica, & magnitudo de qua Geometria differit.*

Poſtulat hic aphoriſmus prolixam explicationem quam hîc tradere intempeſtiva eſſet ἀκρίβεια: nunc ſatis eſt rudi Minerva & (ut cum Ariſtotele loquar) ὡς ἐν τύπῳ Philoſophiæ partem Theoreticam in membra diducere. *Theologiam*) hæc non

eſt illa divinitus inſpirata quę credentes reddit ſapientes ad ſalutem, ſed eſt cognitio Dei & divinorum ſive immaterialium quanta naturalibus mentis humanę viribus acquiri poteſt: non habet Deum pro ſubiecto adæquato, ſed principali cùm & ea conſideret quæ omnibus entibus materialibus atque immaterialibus ſunt communia. *Primam Philoſophiam*) Sic nuncupatur ratione dignitatis: nam pro ſubiecto habet res præſtantiſſimas, nimirum ſubſtantias immateriales quæ ab ipſo Ariſt. 4. Metaph c. 3 & lib. de interpret. c. 13. vocantur primę ſubſtantiæ. *Metaphyſicam*) Quaſi dicas poſt Phyſicam, quia poſt Phyſicam inventa eſt: omnis enim noſtra cognitio à ſenſibus initium ducit, & inviſibilia Dei, ut ſunt eius æternitas, omnipotentia, ſimplicitas, &c. ex viſibilibus eius operibus innoteſcunt, ut ait Apoſt. Paulus c. 1 ad Romanos. *Phyſicam*) Phyſicæ nomen non ſumitur hîc ut in partitione illa Stoica; ſed ut naturę nomen reſtringitur ad corpora & definitur, *Principium internum motus & quietis*, &c. ut videre eſt apud Ariſt. 2 Phyſ c. 1. quare & Phyſica eodem ſenſu σωματολογία dici poteſt. *Mathematicam*) μαθήματα ſonant diſciplinas, ſed nomen commune generis κατ' ἐξοχὴν illæ diſciplinę ſibi vendicarunt quæ circa quantitatem occupantur, ſunt enim digniſſima encyclopædiæ pars: quippe philoſophia practica, Phyſica, & Theologia non ſunt in encyclopædia, ſed ſupra eam, & ſic intelligendum eſt quod ait A. Gellius lib. 1. c. 9. *Geometriam & Gnomonicam, Muſicam, cæteraſque item diſciplinas altiores* μαθήματα *veteres Græci appellabant.*

Vt numerus de quo, &c.) Arithmetica & Geometria ſunt Mathematicæ purę: illa quantitatem diſcretam, hęc continuam ſpeculatur. his verò duabus ſubordinatæ ſunt aliæ multæ quæ quod medię ſunt naturæ & conditionis inter Mathematicas puras & Phyſicam, Mathematicæ mixtæ dicuntur, ut ſunt Muſica, Aſtronomia, Optica, Mechanica, &c. Ariſt. 2. Phyſ. c. 2.

5. *Practica Philoſophiæ pars dividitur in Ethicam, quæ generaliter de ſummo bono deque moribus hominis abſolutè formandis: Politicam, quæ ſpecialiter de civitatis recto regimine & officiorum diſtinctione: Oeconomicam, quæ de familiæ ordinatione & bono præcepta continet.*

Hominis abſolutè) id eſt conſiderati abſque reſtrictione ad certam vitæ conditionem, qualis eſt vita magiſtratus, aut privati civis, aut patris-familias, aut domini, aut ſerui. Virtutes enim & actiones honeſtæ, quarum explicatio in Ethica habetur, hominem decent in omni vitæ conditione: ſed in Politica & Oeconomica diſſeritur de illis quæ hominem facere par eſt ad certam vitæ conditionem reſtrictum, & quatenus has aut illas partes in Repub. aut familia præſtandas habet.

6. *Quamvis autem in Peripatetica illa*

Philoſophiæ diviſione Logica omiſſa ſit & nullo numero habita, utpote quæ nec præſcribit agenda, nec rerum ullarum ſcientiam continet, ſed tantùm inſtrumenta Philoſophiæ ſuppeditat; tamen menti Ariſtotelis conſentaneum eſſe videtur, eam & inſtrumentum eſſe, & partem Philoſophiæ Tota igitur Philoſophia dividatur in principalem, quæ ſubdividitur in Theoreticam atque Practicam; & inſtrumentariam quę eſt Logica.

De quæſtione hac non convenit inter ſe Peripateticis. Ego exiſtimo Logicam partibus Philoſophiæ annumerandam eſſe: Primò quia Ariſt. 1. Topic. c. 11. *Problemata Dialecticā dividit*, ut Stoici Philoſophiam, *in naturalia, Moralia, & Logica*, eâdemque diviſione c. 14. eiuſdem libri repetitā ſubdit, *hæc* (tria problematū genera) *Philoſophicè explicanda eſſe ſecūdum veritatem, ſed Dialecticè diſputari poſſe ad opinionem*, hoc eſt probabiliter & in utramque partem: deinde quia Diog. Laertius in vita Ariſtotelis ſcribit, ex Ariſtotelis ſententia Logicam eſſe quodammodò partem Philoſophiæ, & revocandam eſſe ad Theoreticam cuius præcipuè eſt inſtrumentum. At, inquiunt nonnulli, habitus

efficiendi inſtrumenta Philoſophiæ non debet dici pars Philoſophiæ. Sed hanc obiectionem frivolam eſſe vel ex artibus quibuſdam quæ manu factitantur cognoſci poteſt: nonne enim Ars efficiendi malleum, incudem, & forcipem eſt pars artis eiuſdem cuius hæc ſunt inſtrumenta?

CAPVT III.

Quid ſit Logica, & quot ſint ejus partes.

1. ***Logica eſt diſciplina directrix humanę mentis in fungendo ſuo munere accommodatè ad ſcientiam.***

Logica ſic dicta eſt à nomine λόγος, quod, ut pueri norunt. & rationem & orationem ſignificat. Sermo enim alius eſt internus nempe ratio ſive cogitatio, alius externus teſte Ariſt. 1. Poſt. Analyt. text. 77. nam ait alium eſſe τὸν ἔσω λόγον, ſive τὸν ἐν τῇ ψυχῇ, alium verò eſſe τὸν ἔξω λόγον. illum ἐνδιάθετον ſive intus afficientem & intus conceptū, hunc autem προφορικόν ſive pronunciatum & prolatum appellant, Plutarch. lib. Quod Philoſopho cum principibus maximè differendum ſit, Philo de vita Moſis lib. 3. Porphyr. in Categorias Ariſtotelis, & Io. Damaſcenus lib. 2. de fide Orthodoxa, ubi eleganter utrumque deſcribit aiens τὸν ἐν-

διάθετον λόγον εἶναι κίνημα τῆς ψυχῆς ἐν τῷ λογιστικῷ γινόμενον ἄνευ τινὸς ἐκφωνήσεως id eſt *internum ſermonem eſſe motionem animæ in parte rationali factam abſque ulla vocali expreſſione*: & τὸν προφορικὸν εἶναι ἄγγελον νοήματος ſive *prolatum ſermonem eſſe nuncium cogitationis.* Logicæ ergo nomen vel ſumi poteſt latè, quatenus comprehendit diſciplinas quæ circa utrumque ſermonem verſantur, & ita Grammatica, Rhetorica, & Poëtica ſunt partes Logicæ: vel ſtrictè, prout circa conceptus & verba mentis per ſe occupatur, verba oris non curans niſi ut verborum mentis ſigna neceſſaria, adeoque oratione utens non ultrà quàm ad intellectum ſatis eſt, & hoc ſenſu à nobis iam definita eſt. Hîc ergo conſiderandum venit tria eſſe diſciplinarum genera: quædam enim in ſermone oris componendo, ut Grammatica; quædam in rebus aut contemplandis, ut Phyſica; aut agendis, ut Prudentia; aut efficiendis, ut ars fabrilis; aut tractandis & utendis, ut Citharistica; quædam in ratione dirigenda conceptibuſque inter res & verba mediis, cuiuſmodi eſt ſola Logica, occupantur: Logica eodem ſenſu Dialectica à Stoicis dicta eſt teſte Plutarcho: nec malè, nam verbũ διαλέγεσθαι quandoque nihil aliud ſignificat quàm λόγῳ χρῆσθαι (id eſt *ratione & oratione uti*) ut teſtatur Plato in Alcibiade primo, & ut ab ipſo Ariſtotele ſumi videtur c. 2. de Elenchis Sophiſt. quamvis frequẽtius ſumatur pro *diſſerere ultrò citroque*, & Dialectica pro ea Logicę parte quę ultrò citroque probabiliter diſſerendi methodus eſt. Dialectica apud Platonicos plerumque etiam uſurpatur eodẽ ſenſu cum Metaphyſica vel Theo-

logia ſcientiarum omnium domina, ut videre eſt apud Platon. 7. de Repub. & Plotinum c. 6. lib. de Dialectica ſive de adſcenſu ad mundum intelligibilem, & Alcinoum c 6.

Diſciplina) Logica alia eſt inartificialis ſiue naturalis, qua utuntur omnes homines, quantumvis rudes & inculti: Alia artificialis, quę ex pręceptis & exercitatione in naturæ auxilium contractis proficiſcitur: vide Ariſt. 1. Rhet. c. 1, & c 11. de Elenchis ſophiſt. ubi ait *ipſos etiã idiotas* ἀτέχνως μετέχειν τούτου οὗ ἐντέχνως ἡ διαλεκτικὴ ἐστι, id eſt *ſine arte participes eſſe illius cuius Dialectica ars eſt.* Logica artificialis hîc definita eſt, quæ reſpectu recipientis diſciplina, reſpectu tradẽtis doctrina appellatur. Poteſt autem diſciplinę, ut & artis & ſcientiæ, nomen accipi vel pro corpore ſive compage & ſyſtemate pręceptorum viva voce prolatorum, aut in libro exaratorum: vel pro habitu dianoëtico ſive qualitate mẽtis comparata pręceptis & exercitatione, qua habiliores & aptiores reddimur ad aliquid contemplandum, agendum, aut efficiendum.

Directrix) Genus remotum Logicæ eſt diſciplina, proximum eſt diſciplina directrix ſive Practica: Directrix enim eſt quæ in cognitione ſubiecti ſui non acquieſcit, ſed eâ partâ utitur tãquam regulâ praxeos. Quod ut intelligatur notare oportet nomen *Praxis* quatuor modis in Philoſophia Peripatetica accipi: Primò enim ſumitur generaliter pro omni actu, exercitio, vel functione quę Theoriam ſive cognitionem inſequitur & intellectus dictamine atque præſcripto regi poteſt, quo ſenſu contemplationi ſive Theoriæ opponitur, ſed effec-

tionem comprehendit. Ita Ariſt 6. Eth. c. 1. & 3. de anima c. 10. intellectum diuidit in *Theoreticum*, quem & ἐπιστημονικὸν appellat; & *Practicum*, quem deſcribit eſſe τὸ ἕνεκά του λογιζόμενον id eſt *gratia alichius ratiocinantem*. Vnde & generalis diſciplinarum diviſio reſpectu finium eſt in theoreticas atque practicas: Theoreticæ ſunt quæ acquieſcunt in cognitione rei cuius ſtudium habent: Practicæ quæ rei cuius ſtudium habent cognitione parta utuntur ad finem ulteriorem. Ita Cicero 2. Acad. quæſt. *artium*, inquit, *aliud ejuſmodi genus eſt, ut tantummodò animo rem cernat: aliud, ut moliatur aliquid & faciat*. Sed tacendum non eſt hanc diviſionem eſſe accidentalem reſpectu intellectus, & eſſentialem reſpectu diſciplinarum ſive habituum eius: unus enim idemque intellectus ſi in cognitione acquieſcit, ſpeculativus; ſi ultrà tendit & propter alium finem ratiocinatur practicus dicitur: at habitus ſpeculativus & practicus, eſſentiâ diverſi ſunt. Secundò praxis non tantùm opponitur contemplationi, ſed etiam effectioni, ita ut actuum intellectus dictamini ſubditorum ille qui poſt ſe opus viſibile relinquit effectio, qui autem nullum poſt ſe opus viſibile relinquit praxis dicatur: ita enim diſtinguit ipſe Ariſt. 1. magnorum Moral c. ultimo, quo ſenſu 6. Metaph. c. 1. *dianoeam* dividit in *Theoreticam, Practicam, & Poëticam* ſive effectivam. Atque ita reſpectu finium tria ſtatuuntur diſciplinarum genera: quædam Theoreticæ ſunt, poſitæ in inſpectione & æſtimatione rerum, ipſoque rei cuius ſtudium habent intellectu contentæ, ut eſt Aſtrologia: aliæ practicæ,

Digitized by Google

quæ ipſo actu cuius regula eſt cognitio perficiuntur, nihilque poſt actum operis relinquunt; ut eſt ars ſaltandi, aut fidibus utendi: Aliæ Poëticę ſive in effectu poſitæ, quæ poſt actum relinquunt opus oculis ſubiectum, ut pictura relinquit imaginem in tabula, & ſtatuaria ſtatuam, Quintil. lib. 2. inſtit. orator. c. 18. Tertiò praxis ſumitur pro actu hominis libero & voluntario quatenus eſt moraliter bonus vel malus: & ita ſola prudentia dicitur practica, cæteræ autem diſciplinæ directrices dicuntur poëticæ uel effectivæ. Quartò denique praxis diſtinguitur ab effectione, eo quod praxis ſit actus immanens, hoc eſt manens & inhærens in eo ipſo à quo producitur, ut iraſci, vel amare: Effectio autem ſit actus tranſitivus, ſive productus ab uno & receptus in alio, ut ſecare, vel urere; ſectio enim et uſtio non ſunt in ſecante & urente, ſed in ſecto & uſto. Sic ergo diſciplinæ quarum actus ſunt immanentes dicuntur practicæ, quarum autem actus ſunt tranſeuntes dicuntur effectivæ.

Humanæ mentis) potentiarum ſive facultatum homini à natura inſitarum aliæ ſunt irrationales, aliæ rationales, teſte Ariſt 9 Metaph. c. 2. & 1. Eth. c. 13. Irrationales ſunt quæ ratione regi non poſſunt, qualis eſt appetitus cibi in ventriculo vacuo, & motio cordis atque arteriarum. Rationales quę ratione regi poſſunt, ut appetitus vindictæ aut voluptatis, quem prudens recta ratione frænat. Vt igitur rationalium unaquæque opus ſuum convenienter rationi peragat inventę ſunt diſciplinæ directrices: per Logicam mens ipſa ſe dirigit in munere ſuo fungendo: per habitum pruden-

tiæ

tię ſive Philoſophię practicę dirigit appetitum cō-cupiſcendi & iraſcendi, in amore & odio, electione & fuga, honeſtorum & turpium, iucundorum & moleſtorum: Per artem memoriæ memoriam firmat: Per quamplurimas artes facultatem loco motivam & membra externa in operādo accommodatè ad certum finem gubernat & moderatur, ut linguam in loquendo per Grammaticam, manum in tractandis armis per gladiatoriam, in pulſando citharam per citharilticam, in gubernando navem per nauticam, in pingendo per picturam, &c.

In fungendo ſuo munere accommodatè ad ſcientiam) Finis Logicæ unà cum ſubiecto hic ſignificatur, modus enim ſive via & ratio ſciendi eſt ſubiectum Logicæ, ideoque & Logicam ipſam τρόποι ἐπιστήμης ſive modum ſcientię Peripatetici ab Ariſtotele appellatam cenſent 2. Metaphyſ. c. 3. cùm ait *abſurdum eſſe ſimul quærere ſcientiam & modum ſciendi.* Omnis diſciplina tam theoretica, quàm practica, duo habet ſubiecta: unum quatenus eſt accidens, & vulgò in ſcholis logicis vocatur ſubiectum inhæſionis, quod omnibus diſciplinis unum idemq; eſt, nempe mens humana: alterum quatenus eſt diſciplina, quod vocatur ſubiectum explicationis, quo unaquæque diſciplina ab omnibus aliis differt. ſubiectum enim explicationis non eſt quodcunque in diſciplina aliqua explicatur, ſed id cuius gratia cætera omnia explicantur; & in diſciplinis Theoreticis vocatur ὁ γένος ἐπιστητὸν, id eſt *genus ſcibile*, ut corpus naturale Phyſiologiæ, numerus Arithmeticæ, & magnitudo Geometriæ ſubie-

ctum eſt. Sed diſciplinæ practicæ ſive directrices, præter ſubiectum inhæſionis & ſubiectum explicationis, habent & ſubiectum operationi ſubſtratum, quod vocatur ſubiectum operationis: & quibuſdam videtur huiuſmodi ſubiectum potius dicendum eſſe ſubiectum reſpectu artificis, quàm artis; ut fabro ligna, & medico corpus humanum ſubiectum eſt. Subiectum operationis Logicę eſt thema quodlibet quod animo tractandum proponitur, ut clarius patebit ex aphoriſmo proximè ſequente: via autem & modus ſciendi eſt eius ſubiectum explicationis. Sic & in omni diſciplina practica ſubiectum explicationis exiſtimo eſſe ipſum modum operandi convenienter fini propoſito, ut ſubiectum architecturę ſit modus ædificandi, ſubiectum picturæ modus pingendi, &c.

Sed de fine Logicę iam verba faciamus. Logica ultra notitiam ſui ſubiecti progreditur, cum problemata Logica non ſint per ſe ſcitu digna, ſed tantùm propter ea ad quorum notitiam conducunt, ut ait Ariſt. 1. Top. c. 11. Notitiæ autem quę in pręceptis Logicis continetur duo ſunt fines: unus proximus & ſubordinatus, nempe rectè uti ratione, ſive commentari & intellectu tractare quodlibet thema accommodatè ad ſcientiam: alter remotus & ultimus, nempe ſcientia thematis propoſiti, ſive materiæ per Logicam tractatę. Sic artis oratoriæ finis proximus ſive officium oratoris eſt dicere accommodatè ad perſuadendum; remotus eſt perſuadere: & ſtudii medici finis proximus ſive officium medici eſt pręſcribere quæ ad ſanitatem tuendam aut reſtituendam accommo-

data ſunt; remotus autem eſt ſanitatem tueri integram, vel lapſam reſtituere. Prior ille finis artis cuiuſlibet eſt in poteſtate artificis, ideoque appellari debet internus: poſterior non ſemper penes artificem eſt, ideoque externus dici debet. Nam bonus orator non quidlibet perſuadet, bonus medicus non quemlibet ægrum ſanat, bonus logicus non cuiuſvis materiæ propoſitæ ſcientiam aſſequitur. Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt Logicæ uſum non intra ſcholas aut phrontiſteria philoſophorum claudi & contineri, ſed diffundi quacumque patet mentis & rationis uſus: ſive ipſe aliquid ſcire velis, ſive quod ſcis idem alios docere, aut aliorum ſcientiam explorare; ſive tacitus de re aliqua cogites, ſive cum aliis, aut coram aliis loquaris, ſerio vel iocosè, privatìm vel publicè: ſiquidem de nulla re quidquid in buccam venerit loquendum eſt, ſed omnis noſtra oratio ratione concluſa eſſe debet. Quin etiam in audiendo atque legendo iuxta clarus eſt eius uſus, ut quæcumque ab aliis dicta ſcriptave ſunt, logicè reſolvas & particulatìm ad præcepta logica examines. Praxis enim præceptorum logicorum duplex eſt: una in ſynthesi ſive compoſitione, cum aliquid ipſe per Logicam contexis: altera in analyſi ſive reſolutione, cum quæ â aliis logicè contexta ſunt logicè retexis. Sic & Grammaticæ uſus eſt non tantùm ut ipſe purè loquaris, ſed etiam ut purè loquentium ſermones & ſcripta membratìm reſolvas, & artificium ſtructuræ intelligas, & intellectum alios doceas. Habet & ars verſificandi ſuam quandam ſynthesin, cum verba numeris includimus; & analyſin, cum noſtros aut aliorum verſus, verſuum in

Digitized by Google

pedes, pedumque in ſyllabas breves atque longas reſolutione, ad artis regulas examinamus.

Etſi Logicæ definitionem, qua verborum formula eam propoſueram, ſatis explicaſſe mihi videar, tamen ſupereſt quæſtio, *an Logica ſit ars, an vero ſcientia:* quæ plus æquo à multis agitata eſt, cum facilè decidi poſſit, ſi prius de vocabulorum ſignificationibus conveniat. Ars enim & ſcientia quandoque promiſcuè & ſine diſcrimine ſumuntur pro diſciplina qualibet, ſive theoretica, ſive practica; & ſic nullus eſt quæſtioni locus. Cum autem à ſe invicem diſtinguuntur, ſcientia vel ſumitur pro omni diſciplina ſcientificè procedente; hoc eſt, demonſtrationes quarundam affectionum vel proprietatum de ſuo ſubiecto per propria principia & cauſas continente, & opponitur artibus illis, quæ meris præceptis aliquid faciendi nituntur ſine demonſtratione vel ſyllogiſmo ſcientifico, qualis eſt ars ſutoria, fabrilis, aliæque; & hoc ſenſu ſcientię nomen accipientes ſcholaſtici ferè omnes rectiſſimè non tantùm Logicam, ſed & Philoſophiam moralem aſſerunt eſſe ſcientiam. vel ſumitur pro diſciplina quæ in rei cuius ſtudium habet cognitione acquieſcit, & ſic abſurdum eſt Logicam ſcientiis annumerare. Artis quoque nomen nonnunquam accipitur ſtrictè pro eo diſciplinarum genere cuius operationes ſunt tranſitivæ; & ſic Logica non eſt ars: quandoque fuſiùs pro qualibet diſciplina directrice, præter Philoſophiam moralem; & ita Logicam eſſe artem ambigi non poteſt.

2. *Logicæ partes duæ ſunt: una de ma-*

teria operationi Logicæ ſubjecta, ſive de thematum ſciendorum naturis & differentiis: altera de inſtrumentis ſciendi, ſive de faciendis ut thematis cuiuſcumq; propoſiti ſcientiā adipiſcamur.

Sicut omni operationi artificis ſubiecta eſt aliqua materia, ita ad regulas operandi neceſſaria eſt aliqua materiæ ſubiectæ præcognitio. Materiæ præcognitio in quibuſdam artibus maior, in aliis minor requiritur, prout ad operationem in his aut illis intentam ſufficit. Si enim materia arti alicui ſubſtrata multiplex & varia fuerit, dum non multipliciter & variè ſe habeat ad operationem, ſufficit levior eius præcognitio: Sin & materia multiplex fuerit, & multipliciter atque variè affecta ad operationem, oportet materiæ naturam & differentias accuratius & perfectius cognoſcere. Si igitur in aliqua arte ſufficit cognitio materiæ ſubiectæ perexigua, & quantam nemo non domo ſecum affert, cum animum ad artem diſcendam appellit, nihil in ea explicandum eſt, niſi modus operandi: ideoque, ut ſupra diximus, in omni diſciplina practica, non materia operationi ſubiecta, ſed modus operandi eſt ſubiectum explicationis. At ſi artifici neceſſaria eſt maior materiæ ſubſtratæ cognitio quàm quę reperitur in nondum initiatis, oportet artis duas eſſe partes, quarum una doctrinam de natura & differentiis materię ſubſtratæ, altera regulas operandi contineat. Sic in arte medica ante doctrinam de morbis curandis explicantur diligenter ſingulæ corporis humani partes, tam ſi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

milares, quàm diſſimilares: & in Rhetorica primùm exponuntur varia quæſtionum genera, differentiæ, & ſtatus; deinde traduntur præcepta bene dicendi de quolibet genere & ſtatu quęſtionis. Ergo & in Logica prius dicendum eſt de tota thematum tractandorũ varietate & differentiis, quàm ad inſtrumenta & regulas tractandi accedatur. Non enim omnia themata iiſdem inſtrumentis Logicè tractanda ſunt: quædam per definitionem explicare ſatis eſt, alia per ſyllogiſmum confirmare aut infirmare oportet, ut in principio 3. libri dicemus. Sed quia diximus omne thematis genus eſſe ſubiectum & materiam operationis Logicæ, notare convenit diſciplinarum alias eſſe univerſales, alias particulares. Inter Theoreticas Metaphyſica ſola eſt univerſalis, quia explicat ens in genere eiuſque affectiones, & attributa omnibus entibus communia: Phyſica verò & Mathematica ſunt particulares, quia utraque certum & definitum entis genus conſiderat ultra quod excurrere non poteſt, *teſtè Ariſt. 4. Metaphyſ. c. 1. & 6. Metaphyſ. c. 1.* Inter practicas illæ ſunt univerſales quæ pro ſubiecto operationis non habent certum genus rerum, ſed per omnia circumcurrunt, qualis eſt Grammatica quæ de omnibus rebus purè loquendi, & Logica quæ de omnibus commentandi & cogitandi accommodatè ad ſcientiam præcepta complectitur: particulares autem ſunt quæ verſantur in materia certi & definiti generis, ut Medica in corpore humano, & Architectura in lapide, ligno, aliiſque corporibus duris & ſolidis ac proinde ædificationi utilibus.

INSTITVTIONIS LOGICÆ

LIBER PRIMVS.

DE THEMATE SIMPLICI.

SIVE,

περὶ τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων.

CAPVT I.

Thematum diviſio in ſimplicia & complexa, & notionum in primas ac ſecundas.

1. *Omne thema quod logicis inſtrumentis tractandum eſt, aut ſimplex eſt, aut complexum. Thema ſimplex eſt quod indiviſibiliter & totum ſimul percipitur: ſive, quod unico & indiviſibili mentis actu apprehenditur. Thema*

complexum eſt cui ineſt veritas aut falſitas.

EXempli gratia, Deus, homo, lapis, vita, ſenſus, ſunt themata ſimplicia: nam eorum unumquodq; ſimplici & unico conceptu apprehenditur. At hæc ſunt themata cõplexa, Deus eſt ſapiens, homo vivit, homo ſentit, homo non vivit, homo eſt lapis, lapis vivit: nam prioribus tribus ineſt veritas, poſterioribus falſitas. Hæc thematum diviſio nititur authoritate Ariſt c. 2. Categor. c. 1. de Interpret. & 3 de Anima, c. 6. Thema ſimplex vocatur ab Ariſt. ἀδιαίρετον, non quod res ipſa nullas partes habeat in quas dividatur, ſed quia unico mentis attactu & in momento apprehenditur, & (ut ſignificantiſſimis Philoponi verbis utar) quamvis partes habeat, ut linea, nihilominus percipitur ἀδιαιρέτως, καὶ κεντρικῶς, καὶ ἀχρόνως, καὶ ἁπλῇ προσβολῇ, id eſt *indiviſibiliter, & punctim* ſive ad modum puncti, *& ſine tempore, & ſimplici mentis appulſu* vel applicatione, non autem μεριστῶς, id eſt *particulatim.* Quare appoſitè *Terminus* communiter nuncupatur. Nam in eo deſinit reſolutio logica: diſſertatio in ſyllogiſmos, ſyllogiſmus in propoſitiones, propoſitio in terminos reſolvi poteſt; ſed hîc ſiſtendum, quia ad indiviſibile ventum eſt. Thema complexum non poteſt apprehendi niſi prius ſeorſim apprehendantur partes ex quibus coaluit: non enim poſſum apprehendere hanc ſententiam, *lapis creſcit,* niſi prius lapidem animo ap-

prehendam. Non tamen omne quod particulatim apprehenditur eſt propoſitio, ſed illud demùm cui ineſt veritas aut falſitas, ut in principio libri ſequentis patebit.

2. *Quoniam autem thematum logicè tractandorum inſtrumenta ſunt notiones ſecundæ, & thematum ſimplicium atque complexorum conſtitutiones, & diverſitates abſque notionibus ſecundis commonſtrari nequeunt, antequam progredior tenendum eſt, Notionum quæ in animo humano ſunt alias eſſe primas, alias ſecundas. Notio prima eſt quam animus efformat cum res ipſas intuetur. Notio ſecunda eſt quam efformat cum acquiſitas rerum notiones & voces illis ſignificandis impoſitas intuetur.*

Notio, quæ Græcè νόημα dicitur, non eſt idipſum quod noſcitur, ſed eius formale repræſentamen, & (ut Ariſt. ait c. 1. de interpret.) ὁμοίωμα τοῦ πράγματος, id eſt, *ſimulacrum rei*, vel forma ad obiecti ſimilitudinem efficta. Scholaſtici primas & ſecundas notiones vocant etiam primas & ſecundas intentiones, quia animus primò intenditur in

res ipſas, deinde in earum notiones & nomina. Vocabula primas notiones ſignificantia dicuntur vocabula *primæ impoſitionis*, τῆς πρώτης καὶ προηγουμένης θέσεως: Quæ autem ſecundas ſignificant dicuntur vocabula τῆς δευτέρας θέσεως, *ſecundæ impoſitionis*. Exempli gratia: cum mente concipio Solem, Lunam, terram. aërem, calorem, lucem, candorem, &c. efformo primas notiones. Quinetiam cæcitatis, mortis, & tenebrarum notiones ſunt inter primas numerandę: licet enim cæcitas, mors, & tenebræ ſint rerum privationes, non autem veræ res, tamen earum notiones ex intuitu rerum ipſarum colliguntur. Nam qui oculorum uſuram amiſit is cęcus eſt, ſive tu eum cæcum eſſe concipias ſive non: adeoque hęc attributio (Appius eſt cæcus) non eſt fundata in modo tuæ aut meæ de Appio cogitationis. At genus, ſpecies, nomen, verbum, adverbium, propoſitio, ſyllogiſmus, &c. Sunt notiones ſecundæ, quia colliguntur ex conſideratione noſtrarum de rebus notionum, & vocabulorum illis ſignificandis inſtitutorum.

CAPVT. II.

De ſingularibus, univerſalibus, tranſcendentibus, & determinatis.

1. *Thema ſimplex aliud eſt ſingulare, aliud univerſale. Singulare, quod & in-*

dividuum dicitur, eſt quod dividi non poteſt in plura eiuſdem cum ipſo nominis & naturæ: ut Plato, qui dividi poteſt in caput, pectus, ventrem &c. ſed non in Platones. Vniverſale eſt quod diviſum in plura de ſingulis in eadem ſignificatione predicatur: ut homo, dividitur enim homo in Platonem, Socratem, alioſque de quibus ſingulis verè prædicatur nomen & definitio hominis.

HÆc diviſio ſine controverſia nominibus & conceptibus convenit. conceptus enim alius, ut unus eſt, ita unicum repræſentat, ideoque dicitur ſingulare in repræſentando, ut eſt conceptus quem efformo audito hoc nomine *Plato*: Alius, unus ipſe eſt, ſed multa repræſentat, ut qui in animo reſpondet nomini huic *homo*, ideoque dicitur univerſale in repræſentando. Nomen ſingulare eſt quod ſingularem conceptum in animo audientis atque intelligentis excitat: univerſale autem quod univerſalem. Inter conceptus autem & voces hoc intereſt: quòd conceptus alii ſint univerſales, alii ſingulares, id habent à natura; ſed quòd hoc potius nomen quàm illud ſit univerſale, ab inſtituto & voluntate eorum dependet qui primi rebus nomina diſtribuerunt. Sed magna quæſtio eſt an rebus intellectui obiectis conveniat diviſio in ſingulares & univerſales? Hanc ego Cama-

rinam invitus hîc moveo, cum de quæſtione tam perplexa vix quidquam dici poſſit quod contrà ſentientibus occaſionem præbiturum non ſit impreſſionem maiorem faciendi quàm à Logicæ tyrone ſuſtineri queat. Hoc tamen dicam, non tam in gratiam diſcipulorum meorum, qui (ſi me audient) dum Logicam diſcunt, ſua parum intereſſe iudicabunt quidquid de ea quæſtione ſtatuatur; quàm eorum qui ab aliis magiſtris Logicæ elemēta acceperunt, meoſque diſcipulos niſi de univerſalibus aliquid garrire ſciant totius Logicæ ἀγώςυς eſſe pronuntiabunt: *diviſionem rerum in ſingulares & univerſales rebus intellectui obiectis convenire, non quatenus res ſunt, ſed quatenus intellectui obiectæ ſunt ſive quatenus in animo ſunt*: Vna enim eademque res quatenus conceptui ſingulari obiicitur dicitur ſingularis: & quatenus univerſali, univerſalis. Sit pro exemplo Socrates, qui ante mētis operationē ſingularis eſt & incōmunicabilis, & in quo quidquid eſt, ſingulare & incommunicabile eſt. Huius naturam ſi concepero cum omnibus aut quibuſdam circumſtantiis & accidētibus quibus circumſcripta eſt, & quibus Socratem à Platone aliiſque internoſco, dicar concepiſſe ſingulare: at ſi eandem nudam & ſolitariam accepero atque abſtraxero à circumſtantiis quibus Socratem à Platone diſtinguere ſoleo, dicar concepiſſe univerſale. Natura ergo rei cuiuſque nudè vel ſolitariè conſiderata, & exuta circumſtantiis atque accidentibus quibus involuta exiſtit, denominatur communis vel univerſalis, quia de ea ſic accepta nullum poſſumus formare conceptum qui non

ſit in repræſentando univerſalis & multis communis,

Singulare quod & individuum) poteſt & aliis verborum formulis deſcribi: ut ex c.2. Categ. *Individuum eſt quod non dicitur de ſubiecto*, ſive quod nulla habet infra ſe quibus ſuum nomen & definitionem communicet: & ex 3. Metaphy. c. 4. *Individuum eſt quod eſt unum numero*: & ex Porphyrio c. de ſpecie, *Individuum eſt cuius proprietates in acervum collectæ non poſſunt in alio quopiam reperiri*, non enim poſſunt omnes circũſtamtiæ quæ conveniunt Petro reperiri ſimul in Paulo aut alio ullo.

Univerſale eſt) ex c. 2. Categ. deſcribi poteſt univerſale eſſe, *Quod dicitur de ſubiecto*; & ex c. 7. de Interpret. *Quod naturâ comparatum eſt prædicari de pluribus*, hæc autem deſcriptio non competit nominibus univerſalibus. Nam, ut ſupra docuimus, nomen univerſale non eſt univerſale ex ſua natura, ſed ex inſtituto. *Eadem ſignificatione*) ſic excluduntur homonyma, quę de pluribus rebus nomine tenus prædicantur, ut Iudas de patriarcha, & de Domini Ieſu proditore.

Prædicatur) prædicari nihil aliud eſt in præſentia quàm verè affirmari.

2. *Univerſale aliud eſt tranſcendens, aliud determinatum. Tranſcendens eſt quod de rebus omnibus prædicatur. Determinatum eſt cui certus eſt & determinatus prædicationis ambitus.*

Digitized by Google

Exempli gratia *Ens*, *res*, & *aliquid*, ſunt tranſcendentia. Sed *animal*, *virtus*, *color*, *figura*, *actio*, *tempus*, aliaque huiuſmodi, ſunt determinata & certis prædicationis limitibus circumſcripta. Dubitari quidem poteſt an tranſcendentia ſint univerſalia? Ariſtoteles enim modò id ait, ut 3. Metaphyſ. c. 3. & 4. Modò autem negat, ut 1. Eth. c. 6. & 4. Metaphyſ. c. 2. Sed locorum & ſententiarum in ſpeciem pugnantium facilis eſt reconciliatio. Si enim univerſale ſumatur pro omni eo quod diviſum in multa de ſingulis prædicatur, ut ſupra definivimus, negari non poteſt tranſcendentia eſſe univerſalia: ſin id ſolum dicatur univerſale quod æqualiter & eodem prorſus modo de ſingulis ſibi ſubiectis prædicatur, tranſcendētia non ſunt univerſalia; Nomen enim *Entis* eodem ſenſu & ſignificatione de omnibus rebus, ſed non æqualiter, prædicatur, ut infra docebimus.

CAPUT III.

De Genere, Specie, & Differentia.

1. *Univerſale determinatum vel eſt Genus, vel ſpecies. Genus eſt quod de pluribus ſpecie differentibus prædicatur in reſponſione accommodata quæſtioni: Quid eſt?*

HAnc definitionem cum Porphyrio deſumpſimus ex Ariſt.1.Top.c.5 apud quē vide etiam varias Generis ſignificationes 5. Metaphyſ.c.28. *De pluribus*) Alioqui enim non eſſet univerſale, ſic ergo diſtinguitur genus ab individuo. *Specie differentibus*) Specie differre dicuntur quæ eſſentiis & definitionibus differunt, ut homo & equus, aquila & columba: & ſpecie convenire dicuntur quæ definitione & eſſentiâ conveniunt, ut Plato, & Socrates, cæterique homines inter ſe, & omnes equi inter ſe. Sic diſtinguitur Genus à ſpecie, quod mox patebit. *In reſponſione accommodata, &c.* Genus reſpondetur quæſtioni Quid eſt, ſed non ſatisfacit quæſtioni Quid eſt: hoc enim eſt propriũ munus definitionis. Ergo reſponſio accommodata quæſtioni Quid eſt, per genus inchoatur, ſed non abſolvitur. Et ſic diſtinguitur genus à differentia, quæ de ſpecie prædicatur in reſponſione quæſtioni Quale quid. Animal ergo eſt genus quia de homine & equo, quorum eſſentiæ & definitiones diverſæ ſunt, rectè prædicatur in reſponſione quæſtioni quid eſt. *Quid eſt homo? eſt animal.* Hæc eſt reſponſio bene & appoſitè inchoata, quãvis imperfecta, donec addatur differẽtia hominem ab equo cæteriſque beſtiis dirimens, nempe *rationale*. Idem genus reſpondetur quærenti, *quid eſt equus?* At ſi quærenti, *Quid eſt homo?* reſponderes, *rationalis*, nec eſſet reſponſio plena, nec bene inchoata. Sic arbor eſt genus lauri, & quercus, & fagi: & metallum auri, argenti, & ferri: & virtus iuſtitiæ, temperantiæ, & liberalitatis, &c.

Digitized by Google

2. *Species eſt quod generi ſubiicitur & de pluribus numero differentibus prædicatur in quid eſt.*

Non omne quod generi ſubiicitur eſt ſpecies, (nam & individuum generi ſubiicitur)ſed id quod ita ſubiectum eſt ut de indiviluis prædicetur. Numero enim differre dicuntur individua. Individua quorum eadem eſt eſſentia, ut Alexander & Cæſar, differunt numero tantùm: ſed quorum eſſentiæ vel definitiones eſſentiales diverſæ ſunt, ut Alexander & eius equus Bucephalus, ea non tantùm numero, verùm etiam ſpecie differunt. Quæ ergo ſpecie differunt ea numero differunt, ſed non vice verſâ. Item quæ genere differunt ea ſpecie differunt, ſed non vice verſa. Nam differre numero, differre ſpecie, & differre genere, ſunt ut unum, duo, tria; adeoque poſterius quodque ſine præcedente inveniri nequit. Homo ergo eſt ſpecies, quia ſubiicitur animali, & prædicatur de Alexandro, Cæſare aliiſque in Quid eſt? ſic columba eſt ſpecies avis, fraxinus arboris, iuſtitia virtutis, albedo coloris, &c.

3. *Genus aliud eſt ſummum, aliud ſubalternum: & ſpecies alia eſt infima, alia media vel ſubalterna. Genus ſummum eſt quod ſub nullo genere comprehenditur, ſive quod nullius eſt ſpecies. Species*

infima eſt quæ dividi nequit in ſpecies, ſive quod nullorũ eſt genus. Genus ſubalternũ ſive ſpecies ſubalterna, eſt quod alcuius eſt ſpecies & aliquorũ eſt genus.

Hæc omnia luculenter explicat Porphyrius in ſua Iſagoge. Subſtantia dividitur in corpus & ſpiritum, corpus in ſimplex & miſtum, miſtum in animatum & inanimatum, animatum in plantam & animal, animal in hominem & beſtiam, homo in Socratem, Platonem, &c. Subſtantia eſt ſummum & generaliſſimum genus, & ſub nullo comprehenditur, niſi ſub ente quod eſt tranſcendens & genus dici non meretur, teſte Ariſt. 3. Metaph. c. 3. qua de quæſtione ex profeſſo dicemus capite ſequente. Homo eſt ſpecies ſpecialiſſima ſive infima, quia non dividitur in ſpecies, ſive in res eſſentiis & definitionibus diverſas, ſed in ſingularia numero ſolùm diverſa. At animal eſt & genus & ſpecies reſpectu diverſorum, ſpecies enim eſt corporis animati, & genus eſt hominis ac beſtiarum, ideoque dicitur genus ſubalternum vel ſpecies ſubalterna. Stoici, referente Diog. Laërtio in vita Zenonis, paulò aliter uſurpant nomina generis & ſpeciei, hominem enim vocant genus, & Socratem ſpeciem ſpecialiſſimã. Sic & Seneca epiſt. 58. Et Iuriſconſulti Stichum & Pamphilum & certum quodvis aliud corpus ſpeciem appellant, quos & Petrus Ramus in ſua Dialectica ſecutus eſt.

4. *Differentia eſt qua res à re differt. Eſtque alia accidentalis, alia eſſentialis. Accidentalis eſt quæ deſumitur ab accidente quolibet, ſive ſeparabili ſive inſeparabili. Eſſentialis eſt quæ ſpeciem conſtituit, & de ea prædicatur in quale quid eſt?*

Exempli gratia, doctus ab indocto, æger à ſano, dormiens à vigilante, differunt differentiis accidentalibus ſeparabilibus: Æthiops autem à Gallo, & naſus ſimus ab adunco differunt differentiis accidentalibus inſeparabilibus. Homo à beſtia, & diverſæ beſtiarum ſpecies à ſe inuicem differunt differentiis eſſentialibus: nam homo eſt rationalis, id eſt animâ intelligente præditus, rationale autem eſt de eius eſſentia, & generi eius adiectum definitionem complet, quæ eſt, *Animal rationale*. Beſtiarum differentiæ eſſentiales hominibus ignotæ ſunt, & earum loco cogimur adhibere proprietates quæ eſſentiam conſequuntur, cuiuſmodi ſunt hinnitus in equo, lattatus in cane, balatus in ove, &c. Proculdubio tamen unaquæque animalis ſpecies ſuam quandam differentiam eſſentialem habet. Differentia eſſentialis quatenus genus dividit diviſiva, quatenus ſpeciem perficit & à ſpeciebus eiuſdem generis communione fruentibus dirimit conſtitutiva appellatur, ut rationale eſt differentia diviſiva animalis, & conſtitutiva hominis.

5. *Genus ſpeciem prædicationis amplitudine, ſpecies ſuum genus eſſentiali perfectione ſuperat: ſpecies individuum prædicationis amplitudine ſuperat; ſed nec individuum ſuperat, nec ab eo ſuperatur eſſentiali perfectione. Atque hinc provenit, quòd omne genus plures ſpecies neceſſariò requirat; ſed ſpecies non neceſſariò poſtulet plura individua.*

Exempli gratia, Animal prædicatur non tantùm de omnibus hominibus, ſed etiam de quadrupedibus, avibus, piſcibus, &c. Ac proinde hominem ſuperat amplitudine prædicationis: ſed aliquid eſt homini eſſentiale quod non eſt eſſentiale animali. Non enim ſatis eſt hominem definire definitione animalis hunc in modum; *Homo eſt corpus animatum ſentiens*, ſed etiam adiicere oportet differentiam qua animalis ampla notio ad hominem contrahitur, nempe *rationale*. Et homo Socratem prædicatione ſuperat, quia non de eo ſolo, verùm etiam de Platone aliiſque multis prædicatur. At nihil prorſus eſt de eſſentia Socratis quod non ſit de eſſentia hominis, nec ulla poteſt afferri definitio eſſentialis Socrati præter communem hominis definitionem. Sed dum ſtatuo, non eſſe neceſſarium ut omnis ſpecies habeat ſub ſe plura individua, vereor ne lectori videar definitionem ſpeciei ſuprà poſitam convellere. Si enim

non eſt neceſſe ut omnis ſpecies habeat ſub ſe plura individua, quomodo poterit omnis ſpecies de pluribus prædicari? Reſpondeo, verbum *prædicari* in definitione ſpeciei non eſſe ſumendum pro actu tantùm, ſed pro aptitudine & potentia quam omnis ſpecies habet ut prædicetur de pluribus. Ea enim aptitudo ſpeciem nunquam deſtituit: quia etſi non ſit neceſſe ut ſub omni ſpecie actu exiſtāt plura individua, tamen ſub omni ſpecie plura exiſtere poſſunt.

CAPVT IIII.

Quid ſit Categoria, & quot ſint.

Hactenus fundamenta ieci quibus tota inſtitutio logica niti videtur: Nunc quæ porrò in hoc libro mihi dicenda ſint paucis delineabo. Primùm notionum primarùm claſſes, quas Categorias vocant, ſecundò affectiones quæ ex mutua earum comparatione oriuntur, tertiò denique nonnullas vocabulorum notiones quatenus ad logicam conducunt explicabo.

1. ***Categoria eſt claſſis generum & ſpecierum primæ notionis ſub uno ſummo genere per differentias diviſivas & conſtitutivas naturaliter diſpoſitorum.***

KΑτηγορία) Nomen hoc propriè & primò ſignificat accuſationem:ſed à foro in ſcholas philoſophorum traductum duobus modis accipi ſolet: primo pro ipſa prædicatione, ſive affirmatione alicuius de aliquo : ſecundò pro claſſe & ſerie primarum notionum ad genera & ſpecies reductarum. *Claſſis generum, etc.*) In omni claſſe obſervare eſt primum multitudinem collectam & congregatam, deinde collectorum certam diſpoſitionem & ordinem. Multitudo collecta eſt generum & ſpecierum : genera & ſpecies diſponuntur ſub uno ſummo per differentias. *Generum & ſpecierum*, cur non & individuorum ? quoniam individua ſunt innumerabilia, ut teſtatur Porphyrius cap. de ſpecie, ex Platone, & Ariſt. 3. Metaph. c. 4. Innumerabilium autem non eſt ordo. Ideo nulla ars aut ſcientia explicat ſingularia, excipias modò Theologiam quæ Deum contemplatur. Ideoque exiſtimo individua non tam eſſe partes Categoriarum quam baſin & fundamentum, ut eſt ſolum in ædibus. Accedit quod Categoria, ut ipſum nomen præ ſe ferre videtur, ſit prædicabilium Claſſis, non autem ſubiectorum; atqui individua non ſunt prædicabilia, non enim prædicantur niſi de ſe ipſis prædicatione identica, quæ in artibus & ſcientiis

nulla habetur, cuiuſmodi eſt hæc, hic homo eſt Socrates, vel Socrates eſt hic homo. *Primæ notionis*) Secundæ notiones non ſui gratia formantur, ſed ut ſint adminicula & inſtrumenta primarum in animo digerendarum, aut vocibus convenienter exprimendarum. Ideoque ſapientibus viſum non eſt ullas ſecundarum notionum claſſes conſtituere. *Sub uno ſummo genere*) ſicut numeri principium eſt unitas, Ita omnis legitima & conveniens diſpoſitio multorum in unum collectorum cum relatione & habitudine ad unum primum conformanda eſt. *Naturaliter diſpoſitorum*) Naturalis diſpoſitio poſtulat ut non tantum anguſtiora amplioribus & fuſiorem prædicationis ambitum habentibus ſubordinentur, ſed etiam ut quæ æqualiter diſtant à ſummo genere è regione ſibi mutuò collocentur. Vtrumque præſtant differentiæ: nam quatenus genera dividunt indicant quæ ſint anguſtiora & quæ ampliora; quatenus autem ſpecies conſtituunt, quænam quibuſnam è regione ponenda ſint commonſtrant.

2. *Categoriæ ſunt decem: Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relata, Actio, Paſſio, Vbi, Quando, Situs, & Habere. Qui numerus collectus eſt ex diverſitate quæſtionum in reſponſionibus accommodatis ad quas de individuo quolibet humanæ naturæ, ut Platone,*

vel Socrate, omnes primæ notiones prædicantur.

Numerum Categoriarū non aliunde deſumptū eſſe quàm ex quæſtionum diverſitate & variis prędicandi formulis conſtat, primùm ex Categoriarum nominibus: nam *Quantum*, *Quale*, *ubi*, & *quando* ſunt nomina quæſtionum: atqui & ipſa Subſtantiæ Categoria appellatur Categoria *Quid eſt*, vel Categoria Quidditatis. 1. Top. c. 8. & 5. Metaph. c. 7. Deinde cur appellat Ariſtoteles Categorias, vel ſumma in Categoriis genera σχήματα κατηγοριῶν hoc eſt figuras prædicationum, niſi quia diverſis prædicandi formulis ſubiecto attribuuntur? idem confirmari poteſt inductione, nam quoniam quæſtioni, Quid eſt Socrates? rectè & appoſitè reſpondemus eum eſſe hominem, animal, vivens, corpus, ſubſtantiam, idcircò hæc attributa & quæcunque ſub illis comprehenduntur, ut cælum, terra, lapis, arbor, beſtia, collocantur in Categoria *Quid eſt*. At quæcunque conveniunt quæſtioni quantus? (ſiue quæſtionibus Quot? quàm magnum? & quamdiu? quę generali nomine Quanti comprehenduntur) ut quatuor, decem, centum, pedale, ſeſquipedale, tricubitum, ſemeſtre, annus, dies, revocantur ad Categoriam *Quantitatis*. Sic ad categoriam *Qualitatis* ſpectant quę predicantur in quale ut iuſtitia, temperantia, ſciētia, albedo, nigredo, calor, frigus, rotundum, quadratum, &c Quæcumque referuntur ad aliud & dici aut intelligi nequeunt ſine relatione ad aliud,

adeoque prædicantur in reſponſione quæſtioni πρός τι; ſive ad quid refertur? ut dominus, ſervus, pater, filius, amicus, æqualis, maior, minor, &c. Comprehenduntur in claſſe τῶν πρός τι ſive *eorum quæ ſunt ad aliquid.* Sic verberare, urere, ſecare, ambulare, ſcribere, loqui, ſunt in categoria *Actionis* quia convenienter redduntur quæſtioni Quid agit? Et verberari, ſecari, uri, &c. in Categoria *paſſionis.* Quia reſpōdentur quæſtioni, Quid patitur? quæſtionem quando? diluunt hæc attributa, heri, hodie, pridie calendas Ianuarii, imperante Tiberio, conſule hoc aut illo, ideoque conſtituunt categoriam *Quando*, vel *Aliquando.* Pariter Categoriam *vbi*, vel *Alicubi*, componunt reſponſiones convenientes quæſtioni de loco, ut Romæ, Conſtantinopoli, in cœlo, in terra, in urbe, in agro, in foro. Categoriam *Situs* conficiunt reſponſiones queſtioni *Quomodo ſitum eſt?* ut ſtare, ſedere, iacere, pendere, &c. Denique ad *Habituum* claſſem referenda ſunt attributa quę redduntur quęſtioni Quid indutum eſt? vel qua veſte, quibus armis, quo ornamento? ut palliatum eſſe, tunicatum eſſe, togatum eſſe, loricatum eſſe, &c. Breviarium exemplorum Categoriarum vulgò, non ineptè, hoc diſticho exprimitur,

Arbor, tres, ſervos, fervore, refrigerat, uſtos,
Ruri, cras, ſtabo, nec tunicatus ero.

Categoriarum autem authores reſpexiſſe potiſſimùm ad prædicationes quæ fiunt de homine quolibet, liquet ex ultima Categoria, nam veſtis, arma, & corporis ornamenta, quibus conveniunt niſi hominibus?

Quæ cùm ita ſint non difficile eſt reddere rationem cur non omnia entia ponantur in una claſſe cujus ſummum genus ſit ipſum *Ens*. ſi enim omnia entia attribuerentur unâ eademque attributionis formulâ, profectò omnia eſſent eiuſdem categoriæ: at hoc non accidit. Sunt & aliæ rationes propter quas non poteſt eſſe unum omnium genus: Primò enim, *Ens* de nullo aptè prędicatur in reſponſione quæſtioni Quid eſt? ſi enim quærenti, *quid eſt hoc?* reſponderes *eſt ens*, vel, *eſt aliquid*, quæſtionem nullatenus ſolviſſe, ſed eluſiſſe dicereris. Tranſcendentia enim nullam ſolvunt quæſtionem de hoc vel illo ente propoſitam, niſi fortè quęſtionem *An ſit*. cùm enim quęrenti *quid eſt hoc*? reſpondes, *eſt ens*, vel eſt *aliquid*, nihil aliud dicis quàm illud quod reddendum erat quęſtioni *An ſit*? Secundò, ens inæqualiter prædicatur de ſubſtantiis, quantitate, qualitate, cæteriſque categoriarum generibus, nam ſubſtantia per ſe & ſimpliciter eſt Ens, at quantitas & qualitas, cæteraque accidentia non ſunt entia niſi quia ſunt entis, & accidens unumquodque ideò tantùm dicitur aliquid quia eſt aliquid alicuius nempe ſubiecti teſte Ariſt. 7. Metaph. c. 1. Ex dictis etiam patet nil referre quod decem Categorię non ſint realiter diſtinctæ, exempli cauſa, quod Actio, & Paſſio, ſint unus idemque motus reſpectu diverſorum ut una eademque via eſt quę ducit Thebis Athenas, & Athenis Thebas: nam in diſtinctione categoriarum non eſt habenda ratio diſtinctionis rerum quę intellectus operationem antecedit, ſed diſtinctionis quæſtionum & formularum ſub quibus

omnia entia ſubiecto attribuuntur.

CAPVT V.

De ſubſtantia.

1. *Subſtantia eſt quod per ſe exiſtit: ſive, quod non eſt in ullo tanquam in ſubiecto. In ſubiecto autem illud eſt quod eſt in aliquo non ut eius pars, nec poteſt exiſtere ſeorſim ab eo. Subſtantia etiam deſcribi poteſt, quod aliis ſubſtat.*

S*Vbſtantia*) Græcè dicitur οὐσία, quod vocabulum, ſi eius Etymologiam ſpectemus, eſſentiam ſignificat, ἀπὸ τοῦ ὄντος, id eſt *ab ente*. Quamvis enim unumquodque genus accidentis habet ſuam quãdam eſſentiam, tamen eſſentiæ nomen, quod commune eſt, ſubſtantia tanquam ſibi proprium vendicavit, quia primariò & ſimpliciter eſt ens, ut capite præcedente diximus. *Per ſe exiſtit*, per ſe exiſtens non ſumitur hîc quatenus excludit eſſentialem & neceſſariam rei dependentiam à cauſa producente & conſervante: ſic enim ſi ſumeremus *per ſe exiſtere*, ſolus Deus per ſe exiſtere dicendus eſſet, quia ille ſolus à nulla cauſa dependet, cæterà autem omnia ab eo tanquam ab efficiente & producente & conſervante, tanquam ab exemplari, &

tanquam à fine. Nec ſumitur quatenus denotat ſolitudinem exiſtendi, quaſi omnis ſubſtantia poſſet exiſtere ſeparata ab omnibus aliis: ſic enim ſubſtantia completa duntaxat & quæ non eſt pars alterius eſſet ſubſtantia. Sed *per ſe exiſtere* opponitur τῷ εἶναι ἐν ὑποκειμένῳ, quod eſt, *eſſe in ſubiecto*. *Quod eſt in aliquo*) nempe individuo completo & perfecto. Nam accidentia differunt à formis eſſentialibus corporum naturalium, eò quòd illa recipiantur in ente completo, perfecto, & toto, ſine quo exiſtere non poſſunt: ſed hæ in ente incompleto nempe in materia informi, ſine qua exiſtere non poſſunt, ut patet ex lib. 1. de ortu & interi. c. 4. Exempli cauſa, anima canis aut alia quævis præter humanam, eſt in corpore, nec poteſt exiſtere ſeparata ab eo, non tamen eſt accidens, quoniam corpus cui advenit anima eſt ens incompletum. *Non ut pars*) aliquid in aliquo eſſe dicitur multis modis ut explicat Ariſt. 4. Phyſic. c. 3. Quare non fruſtrà hæc conditio & ſequens adiectæ ſunt. Cæterùm hæc conditio debet intelligi reciprocè, nam ſicut quod eſt in aliquo ut pars non eſt eius accidens, ita quoque totum eſt in partibus ſimul ſumptis ſed non eſt earum accidens. *Nec poteſt exiſtere ſeorſim ab eo)* non dico, id quod eſt in ſubiecto non poſſe ſeparari à ſubiecto, multa enim ſunt accidentia ſeparabilia: ſed dico, id quod eſt in ſubiecto non poſſe exiſtere avulſum à ſubiecto. Accidens enim ſeparabile ipſo ſeparationis momento perit & deſinit exiſtere in rerũ natura. Hinc colliguntur duo axiomata: *Accidens non poteſt exiſtere ſine ſubiecto*, & *Accidens non poteſt migrare ex*

uno ſubiecto in aliud. Vide Ariſtotelem non tantùm c. 2. Categ. Vnde hanc definitionem τὸ εἶναι ἐν ὑποκειμένῳ deſcripſimus, verùm etiam 1. Phyſ. c. 3. 1. de ortu & interitu c. 4. & 7. Metaph. c. 1.
Quod (ſubſtat aliis) prior ſubſtantiæ deſcriptio latior eſt hac poſteriore, nam omnis ſubſtantia per ſe exiſtit. ſed ſola ſubſtantia creata & finita ſubſtat accidentibus. Deus enim nullis accidentibus ſubiectus eſt. Sed poſterior hæc nobis notior eſt, quia omnis noſtra notitia ortum habet à ſenſibus qui percipiunt accidentia ſubſtantiis corporeis inhærentia.

2. *Subſtantia alia eſt prima, alia ſecunda. Subſtantia prima eſt quæ nec eſt in ſubiecto, nec dicitur de ſubiecto. Secunda eſt quæ dicitur de ſubiecto, ſed non eſt in ſubiecto.*

Vide Ariſt. c. 2. & 5. Categ. Non eſſe in ſubiecto commune eſt ſubſtantiis primis & ſecundis. Dici de ſubiecto eſt eſſe univerſale, ſive habere particularia ſibi ſubiecta & ſubordinata. Subſtantia ergo prima eſt ſubſtantia ſingularis vel individua, quæ à ſcholaſticis vulgò appellatur ſuppoſitum. Non ergo iam ſumitur ſubſtantia prima pro ſubſtantia immateriali ut eam quandoque ab Ariſtotele ſumi notavimus in Prolegomenis c. 2. in explicatione Aphoriſmi, 4. Singularis autem ſubſtantia dicitur prima tribus de cauſis: Primò, quia maximè eſt, nam quidquid exiſtit quatenus exiſtit

ſingulare eſt, univerſalia autem non ſunt in rebus niſi prout intellectui obiectæ ſunt. Secundò quia agere proprium eſt ſingularium ut colligitur ex 1. Metaph. c. 1. & ut fert communis regula ſcholaſticorum, *Omnis actio eſt ſuppoſiti*. Secundæ ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ univerſales, ſive genera & ſpecies ſubſtantiarum. Hæc diviſio non eſt generis in ſpecies, ſed ſubiecti per accidentia: nam univerſalitas & ſingularitas ſunt denominationes ſubſtantiis accidentes prout à nobis concipiuntur, ut diximus c. 2. ſeriem & ſubordinationem generum & ſpecierum ſubſtantiæ repete ex c. 3. in expoſitione ſummorum & ſubalternorum.

3. *Subſtantiæ affectiones ſunt quinque. Prima eſt, De quocunque prædicatur ſubſtantia de eo prædicatur eſſentialiter, ſive & nomine & definitione. Secunda eſt, ſubſtantia prima eſt hoc aliquid. Tertia, ſubſtantiæ nihil eſt contrarium. Quarta, ſubſtantia non recipit magis & minus, ſive non intenditur & remittitur. Quinta, ſubſtantia una, eademque numero mutationem quandam ſubeundo, capax eſt contrariorum.*

Ariſtoteles c. 5. Categoriarum enumerat ſex

ſubſtantiæ attributa, quorum primum, nempe *Non eſſe in ſubiecto*, nos ſupra poſuimus in deſcriptione ſubſtantiæ: cætera hoc aphoriſmo complexi ſumus. *Prima eſt, &c.*) Sic differunt ſubſtantiæ univerſales ab accidentibus univerſalibus. Subſtantiæ enim univerſales non prædicantur de quoquam accidentaliter, ſed omnes earum prædicationes fiunt tùm ſecundùm nomen, tùm ſecundùm definitionem. Exempli gratia de quocumq; prædicatur nomen animalis de eo quóque prædicatur hæc eius definitio, *Corpus animatum ſentiens*, & de quocumque prædicatur *animal*, id in ſua definitione includit *animal*. At accidentia univerſalia licet prædicentur de inferioribus & minus uniuerſalibus in eadem Categoria eſſentialiter, ut ſcientia de Phyſica & Aſtronomia, tamen de ſubiecto inhæſionis vel denominationis externæ prædicantur accidentaliter, ut Plato denominatur ſciens, nam definitio ſcientiæ non eſt eſſentialis Platoni. *Secunda, &c.*) τόδε τι ſive *hoc aliquid* duas includit conditiones: primò enim, quod eſt *hoc aliquid* illud eſt ſingulare & digito monſtrari poteſt, adeo ut de eo poſſis dicere; hîc eſt: ſecundò, quod eſt *hoc aliquid*, eſt ens per ſe exiſtens, ſive eſt ſubſtantia, Ergo ſola & omnis ſubſtantia ſingularis propriè eſt hoc aliquid: ſubſtantias univerſales excludit Ariſt. non tantùm c. 5. Categ. ſed etiam 3. Metaph. c. ultimo. *Tertia, &c.*) Hæc affectio, & quæ proximè ſequitur, convenit etiam quantitati ut cap. ſequente oſtendemus. Quid ſint contraria vide c. 13. huius libri. Primo intuitu videntur quædam ſubſtantiæ eſſe ſibi mutuò contrariæ, ut

aqua & ignis: ſed non habent contrarietatem niſi per accidens & beneficio qualitatum quibus ſubiiciuntur, nempe calor, & ſiccitas ignis contraria ſunt frigori & humori in aqua, adeoque ignis & aqua non ſunt contraria per ſuas eſſentias, ſed ſunt ſubiecta contrariorum naturalia. *Quarta, &c.)* Non comparantur hîc primæ ſubſtantiæ cum ſecundis. Nam primæ ſubſtantiæ ſunt magis ſubſtantiæ quàm ſecundæ, ſi deſcriptionem illam ſubſtantiæ, *Quod aliis ſubſtat*, ſequamur, cum ſubſtantia ſingularis ſubiiciatur omnibus quibus ſubiicitur univerſalis, & præterea ipſi univerſali. Sed comparantur inter ſe individua eiuſdem ſpeciei, & ſpecies oppoſitæ eiuſdem generis, ut ſenſus ſit, individuorum eiuſdem ſpeciei unum non eſſe magis id quod nomine ſpeciei ſignificatur quàm alterum: Exempli gratia, Socrates non eſt magis homo quàm Plato. Similiter ſpecierum eiuſdem generis una non magis participat nomẽ & definitionem ſui generis quàm altera: Exempli gratia homo non eſt magis animal quàm lupus, aut avis, aut piſcis. Porrò una eademque numero ſubſtantia non eſt uno tempore magis hoc quod ipſa eſt quã altero; Socrates enim vir non eſt magis homo quã Socrates puer, & Socrates ſapiens non eſt magis homo quàm cum nondum eſſet ſapientiam adeptus. At accidentia pleraque competunt ſubiecto per magis & minus: Exempli gratia unus homo eſt magis ſapiens quàm alter, & unus idemque diverſis temporibus eſt magis & minùs ſapiens. Hęc ergo affectio ſubſtantiam univerſalem diſcriminat, à pleriſque accidentibus: nam de uno eodemquę

individuo, vel de diverſis eiuſdem ſpeciei individuis, ſubſtãtia non prędicatur per magis & minus: ſed de diverſis eiuſdem ſpeciei individuis, vel de eodem ſpectato diverſis temporibus pleraque accidentia dicuntur per magis & minùs. *Quinta, &c.*) exempli gratia, una eademque amphora aquæ nunc calida eſt, nunc frigida. Non ſuperfluè addidimus, *Mutationum quandam ſubeundo*; nam non poſſunt contraria eidem ſimul ineſſe, ac proinde ab uno ad alterum itur per mutationem. Sed & oratio una eademque numero recipit contrarias denominationes, ut oratio qua pronuncio Socratem ſedere, vera eſt Socrate ſedente, & falſa evadit eo ſurgente, ſed hæc mutatio non eſt in oratione, verùm in Socrate. Sola igitur ſubſtantia capax eſt contrariorum per mutationem.

CAPVT VI.

De quantitate.

1. *Quantitas eſt quæ per ſe habet partem extra partem: ſive, quæ per ſe conſtat ex partibus eiuſdem rationis.*

IN hac quantitatis deſcriptione tres ſunt conditiones: primò quidquid quantitas eſt habet partes, ac proinde Angelus nec quantitas eſt nec quantus, cum ſit indiviſibilis. Secundò oportet

partium

partium quantitatis unamquamque eſſe extra partes ſocias, Exemp. Cauſa, homo non diceretur quantus ſi in eo pes, caput, & venter eſſent ſimul & indiſtincta reſpectu loci & ordinis. Homo quidem quatenus eſt corpus naturale in genere ſubſtantiæ partes habet, nempe materiam & formam, ſive corpus & animã; ſed anima non eſt extra corpus, nec corpus extra animã, immò verò ambo ſimul ſunt ac proinde eaten⁹ homo nõ dicitur quãtus. Tertiò quãtitas per ſe habet partes quales iam diximus, & ſic diſtinguitur quantitas à ſubſtantia quãtitati ſubiecta, vel alia quavis re quãta. Exemp. gratia, homo habet partes extra partes, nẽpe pedes ventrem, caput &c. Sed has partes non habet niſi beneficio quantitatis; homo enim qua homo conſtat ex corpore & anima; & quatenus eſt quantitati ſubiectus conſtat ex pedibus, ventre, capite, &c. At linea, vel numerus, vel tempus, vel alia quævis quantitas, per ſe habet partem extra partẽ. Dixi in ſingulari numero, *Partẽ extra partẽ*, quoniã datur quædam quantitas, ut binarius, cuius partes ſunt duæ duntaxat, ac proinde quæ habet partem extra partem, ſed non partes extra partes. *Ex partibus eiuſdem rationis*) partes eiuſdem rationis ſunt quæ ſunt eiuſdem nominis & naturæ: exempli gratia, linea quævis conſtat ex pluribus partibus quarum unaquæque eſt linea, & numerus quilibet conſtat ex pluribus unitatibus, omnes autem lineæ ſunt inter ſe eiuſdem rationis, omneſque unitates ſunt inter ſe eiuſdem rationis. Sed partes in quas dividitur ſubſtantia corporea, quatenus eſt in genere ſubſtantiæ, ſunt diverſarum rationum: exempli

Digitized by Google

gratia, homo quatenus eſt ſpecies corporis naturalis dividitur in corpus & animam, corpus autem & anima ſunt diverſarum rationum. Ariſtoteles 5. Metaph. c. 13. ait, *Quantum eſſe quod diviſibile eſt in ea quæ ipſi inſunt, quorum alterutrum, vel unumquodq; poteſt eſſe unum quid.* Ait; *alterutrum, vel unumquodque,* eâdem motus ratione qua nos ſupra diximus, in quantitate eſſe *partem extra partem:* Nam cum duæ tantùm ſunt rei partes, dicimus *Altera* & *Alterutra*: cum plures duabus, dicimus *Vnaquæque. Poſſe eſſe unum quid* eſt poſſe exiſtere ſeorſim à partibus ſociis, vel poſſe exiſtere ad modum totius.

2. *Quantitas alia eſt diſcreta, alia verò continua. Diſcreta eſt cuius partes nullo communi vinculo copulatæ ſunt, & dicitur numerus ſive multitudo.*

Exempli gratia: Numerus denarius pro partibus habet 7. & 3. vel 8. & 2. Atqui in numero denario nihil eſt præter 7. & 3. vel 8. & 2. Quare nihil eſt in eo quod poſſit dici vinculum connectens 7. & 3. vel 8. & 2. Numerus vulgò dividitur in numerantem & numeratum: ego malim illum vocare formalem vel abſtractum, hunc verò materialem vel concretum. Abſtractus eſt ipſa ex unitatibus compoſita multitudo, ut duo, tria, quatuor: Concretus eſt res multa, ut duo homines, tres homines, vel duo anni, tres anni. Non concretus, ſed abſtractus eſt ſpecies illa quantitatis

quæ diſcreta dicitur. Vnitas non eſt numerus, ſed eſt numeri pars, & (ut eleganter ait Pſellus in ſua Arithmetica) eſt ἀνάριθμος πηγὴ ἀριθμῶν, καὶ ἀριθμὸς οὐκ οὖσα, γεννητικὴ ἐστὶν ἀριθμῶν, πηγὴ καὶ ῥίζα, καὶ ἀφορμὴ πλήθους παντὸς, εἰκόνα σώζουσα θεοῦ, ὃ μηδὲν ὂν τῶν ὄντων, ἔστι δ' οὖν ὅμως τῶν ὄντων ποιητικὸν, &c. id eſt, *ſine numero fons numerorum, & ipſa non numerus, numerorum genetrix, fons & radix & principium omnis multitudinis; imaginem retinens Numinis, quod non eſt ens; ſed omnium entium efficiens.* Ait autem Deum non eſſe ens, quia eſt ſupra ens, & potius ὑπερουσία quàm οὐσία.

3. *Continua eſt cuius partes communi vinculo copulantur. Et dividitur in permanentem, & fluentem. Permanens eſt cuius omnes partes eodem tempore exiſtunt & aliquandiu manent, & dicitur magnitudo. Fluens eſt cuius partes continuò & ſine intermiſſione aliæ aliis cedunt & ſuccedunt; & dicitur Tempus.*

Permanens eſt, &c.) Permanens eſt quæ partium ſitum & poſitionem habet: ſitum autem & poſitionem partium habet id, cuius partes copulatæ ſunt, & morantur dicentem, *ecce unam partem, ecce alteram.* Poſſum & ſic eam deſcribere, Quantitas partium ſitum habens eſt in qua ſunt loci differentiæ

aliquæ, ut dextrum, ſiniſtrum, &c. Tempus, & numerus, non habent partium ſitum, habent tamen ordinē prioris & poſterioris. Ariſt. c. 6. Categ.

4. *Magnitudinis tres ſunt ſpecies: linea, ſuperficies, & ſolidum. Linea eſt magnitudo unico modo diviſibilis; eiuſque partes puncto copulantur. Punctum autem eſt principium magnitudinis non magnum. Superficies eſt magnitudo duobus modis diviſibilis; eiuſq; partes lineâ copulantur. Solidum, quod & corpus dicitur, eſt magnitudo tribus modis diviſibilis; eiuſque partes ſuperficie copulantur.*

Hæc magnitudinis diviſio, & definitiones ſingularum eius ſpecierum extant apud Ariſt. 1. de cælo c. 1. *Linea eſt magnitudo &c.*) Eodem prorſus ſenſu Euclides *lineam* definit *longitudinem ſine latitudine*, *ſuperficiem longitudinem cum latitudine ſine profunditate*; *ſolidum longitudinem cum latitudine & profunditate*. Atque hæ ſunt eſſentiales ſpecierum magnitudinis definitiones: cauſales verò earundem definitiones à Geometris hæ tradi ſolent, *Linea eſt fluxus puncti*, vel, *eſt punctum fluens*; *Superficies eſt fluxus lineæ, vel linea fluens*; *Solidum eſt fluxus ſuperficiei*, vel, *ſuperficies fluens*. Superiores enim definitiones declarant quid ſint

magnitudines iam factæ & exiſtentes: ſed hæ ſunt definitiones magnitudinum in fieri; hoc eſt, imaginationem noſtram iuvant in comprehendendo modo quo magnitudines à terminis ſuis oriri dicuntur. Si enim punctum intelligatur moveri & quà movetur veſtigia relinquere, illa eius veſtigia nihil aliud erunt quàm linea: Similiter linea erecta motu ſuo antrorſum, vel retrorſum, dextrorſum, vel ſiniſtrorſum, deſcribit ſuperficiẽ: & ſuperficies plana erecta motu ſuo antrorsũ, retrorſum, dextrorſum, vel ſiniſtrorſumdeſcribit ſolidũ. Linea non percipitur ſenſu, ſed intellectu, multo minùs punctum ſenſibile eſt cum partium omnino expers ſit. Superficies eſt quæ videtur in corpore unoquoque. Solidum non cernitur ſolidè, ſed tantùm quoad ſuperficiem. Punctum non eſt lineæ pars, nec linea ſuperficiei, nec ſuperficies ſolidi, omninoque pro certo habẽdum eſt copulam partium Quantitatis continuæ non eſſe de numero partium quas copulat. Aliud enim eſt quod copulat, alia autem quæ copulantur: atqui omnes lineę partes puncto, omnes ſuperficiei partes lineâ, omnes ſolidi partes ſuperficie copulantur. Quare linea non ex punctis, ſed ex lineis; ſuperficies non ex lineis, ſed ex ſuperficiebus; ſolidum non ex ſuperficiebus, ſed ex ſolidis compoſitum eſt. Ac proinde omnis magnitudo diviſibilis eſt in infinitum, ut demonſtrat Ariſt. 6. Phyſic. contrà verò numerus augeri poteſt in infinitum, ſed eius diviſio ſiſtit in unitate. (*Quod & corpus dicitur.*) Corpus duobus modis accipitur: Phyſicè, & Mathematicè. Corpus Phyſicè eſt ſubſtantia compoſita

ex materia & forma: Mathematicè eſt ipſa trina dimenſio, ſive magnitudo tribus modis diviſibilis.

5. *Tempus eſt numerus motus per prius & poſterius: ſive, eſt duratio motus cæleſtis numerata partium ceſſione & ſucceſſione: eius autem partes momento indiviſibili copulantur.*

Sic tempus definitur ab Ariſt. 4. Phyſ. cap. 11, cum autem tēpus vocat numerum accipit numerū materialiter & in concreto, ut tēpus ſit id quod in motu cœleſti numeratur, nempe eius continuitas vel duratio. Exempli gratia, quid aliud eſt dies quàm duratio motus quo ſol à meridiani parte nobis conſpicua digreſſus ad eandem revertitur? & quid eſt menſis niſi duratio motus lunaris dum totum percurrit Zodiacum? Tempus aliud eſt reale, aliud imaginarium. Tempus reale eſt continua ſucceſſio motus cœleſtis, ut iam definivimus: tempus imaginarium ſupereſſet etiamſi cœlum quieſceret. Momentum ſive τὸ νῦν, id eſt ipſum *Nunc*, copulat præteritum & futurum: non eſt temporis pars, cum ſit omnium eius partium copula, ut ſupra argumentati ſumus de puncto: & ut omnis magnitudo eſt diviſibilis in infinitum, ita quoque omne tempus.

6. *Quantitatis tres ſunt affectiones: Non habere contrarium, Non dici per ma-*

gis & minus, & efficere ut res dicantur æquales aut inæquales.

Ita docet Ariſt. c. 6. Categ. *Non habere contrarium)* Æſtas & hyems ſunt tempora, æſtas autem eſt hyemi contraria non aliter quàm aqua igni, nempe nonniſi per Qualitates, quia æſtas calida & ſicca eſt, hyems frigida & humida, omninoque nulla eſt inter Quantitates contrarietas quatenus ſunt Quantitates. *Non dici per magis)* In Quantitatis Categoria datur maius & minus, datur extenſio & contractio: Sed una Quantitas non eſt magis vel minus Quantitas quàm altera; ſive, quantitas non dicitur per gradus comparationis, adeoque non admittit intenſionem & remiſſionem: Exempli gratia, ſeculum non eſt magis tempus quàm una diecula, & myrias non eſt magis numerus quàm ternarius. *Efficere ut res dicantur, &c.)* Quantitas efficiendi vim nullam habet, ac proinde *efficere* hîc ſumitur latè pro *in cauſa eſſe*, vel *occaſionem præbere.* Æqualitas & inæqualitas non ſunt Quantitates, ſed Relationes fundatæ in quantitate: ac proinde cum dicimus quantitatem efficere ut res denominentur æquales, aut inæquales, ſenſus eſt, rebus conſideratis ſecundùm quantitatem competere relationes æqualitatis & inæqualitatis.

CAPVT. VII.

De Qualitate.

1. *Qualitas eſt accidens quod de ſubiecto prædicatur in reſponſione quæſtioni quale eſt.*

SI enim quæratur qualis fuerit Socrates, aptè reſponderi poterit eum fuiſſe Philoſophum, iuſtum, temperantem: ideoque Philoſophia, Iuſtitia, & temperantia ſunt qualitates. Quam variè ſumatur nomen Qualitatis vide apud Ariſt. 5. Metaph. c. 14 in præſentia non ſumimus Qualitatem pro omni eo quod prædicatur in quale eſt, ſed pro eo duntaxat quod Accidens eſt & prædicatur in quale. Nam & differentia ſpecifica ſubſtantiæ prędicatur in quale eſt, ſed accidens non eſt, cum ſubſtantiæ pars nulla ſit accidens. Sed, dicet quiſpiam, numerus & diſtinctio Categoriarum deſumitur ex diſtinctione quæſtionum, ut cap. 4. docuimus, cum ergo differentia Subſtātiam conſtituens prædicetur de Subſtantia in quale eſt, quid vetat eam comprehendi in Categoria Qualitatis? reſpondeo, quod prędicatur in quale eſt, ita ut non ſumatur in reſponſione quæ ſatisfacit quæſtioni quid eſt, illud pertinet ad Categoriam Qualitatis: Sed differentia ſubſtantiæ ſpecifica adiuncta generi prædi-

catur in reſponſione quæſtioni quid eſt, ac proinde reducenda eſt ad Categoriam ſubſtantiæ, ſive Categoriam quid eſt.

2. *Qualitatis ſpecies ſunt quatuor, quarum prima complectitur habitum & diſpoſitionem, quæ non differunt eſſentia, ſed perfectione, & (ut ſcholaſtici loquuntur) radicatione in ſubiecto: quippe diſpoſitio eſt habitus inchoatus; & habitus eſt diſpoſitio conſummata: hic difficilius, illa facilius exuitur. Communis habitui & diſpoſitioni definitio eſt, Qualitas adventitia, ſenſui non ſubiecta, qua ſubiectum redditur habile & accommodatum ad operandum.*

Nomen habitus multis modis ſumitur: Primò ut opponitur privationi, ut cum dicimus viſum & auditum eſſe habitus oppoſitos cæcitati & ſurditati, quo ſenſu à nobis explicabitur, c. 13. huius libri: Secundò ſumitur prout conſtituit decimam Categoriam, de qua ſignificatione dicemus c. 9. huius libri: Tertiò pro quavis potentia & habilitate ad aliquid adminiſtrandum, & ita complectitur hanc qualitatis ſpeciem cum proxima ſe-

quente: quartò pro quavis corporis aut animæ affectione & conſtitutione: Quintò prout hîc à nobis explicatur. *Quæ non differunt eſſentia*) Habitus & diſpoſitio differunt tantùm per magis & minùs, atqui vulgaris eſt regula, *Magis & minùs non mutant ſpeciem*. Vna ergo eademque Qualitas ſi altè & penitùs radices egit in ſubiecto, ut difficulter extirpetur, dicitur habitus: ſin autẽ minùs altè inſedit ſubiecto & facilè atq; citò excuti atq; deponi poteſt, diſpoſitio vocatur. Habitus eſt principiũ operãdi expeditè, diſpoſitio inflectit & inclinat habentem ad facilem operationem, ſed non aſſequitur eam facilitatem quæ habitum contractum inſequitur. Exempli gratia, ars quælibet in magiſtro artis eſt habitus, at in diſcente eſt tantum diſpoſitio *Qualitas adventitia*) ſic differt habitus vel diſpoſitio à potentia vel facultate naturaliter ſubiecto inſita. Exempli cauſa, viſus non eſt propriè loquendo habitus, cum non adveniat ſubiecto aliunde, ſed ei innatus ſit. Habitus alius eſt infuſus, alius acquiſitus. Habitus infuſi ſunt dona Spiritus ſancti, ut fides, ſpes, charitas, & ſcientia linguarum qualis fuit in Apoſtolis. Habitus acquiſiti ſunt qui crebris & repetitis actionibus cõparantur, vt artes, & virtutes, atque vitia moralia. Habitus acquiſitus alius eſt corporis, ut conſtitutio valetudinis pancratica, quæ labore & exercitatione multa corporis comparatur: alius eſt animæ, qui vel eſt mentis, ut artes & ſcientiæ: vel appetitus atque morum, ut iuſtitia, temperantia, & vitia his oppoſita. *Senſui non ſubiecta*) Sic diſtinguuntur habitus & diſpoſitiones à qualitatibus tertiæ &

quartæ ſpeciei, de quibus infra dicemus: omnis enim habitus latet in habente, niſi cum edit operationem, adeoque non ipſe habitus ſed eius effectum ſenſu percipitur. *Qua ſubiectum redditur habile*] hic denotatur finis ſimul & effectum habitus: Omnis enim habitus eſt gratia operationis, & operanti confert habilitatem, facilitatem, & promptitudinem operandi.

3. *Secunda ſpecies continet potentiam naturalem, & imbecillitatem vel impotentiam. Potentia naturalis eſt qualitas ſenſibus non obnoxia, qua ſubiectum à natura aptum eſt agere, reſiſtere, aut pati. Impotentia naturalis nihil aliud eſt quàm potentia patiendi: nam potentia patiendi eſt impotentia ad reſiſtendum aut agendum.*

Exempli gratia, viſus, auditus, cæterique ſenſus, & memoria, & vis intelligendi, ſunt potentię naturales homini. *Senſibus non obnoxia*) Hæc conditio potentiæ naturali communis eſt cum habitu & diſpoſitione, potentia enim naturalis intus abdita eſt, & non aliter cognoſcitur quàm per operationem, (ut ſupra diximus de habitu) adeoque potentiam naturalem diſtinguit à tertia & quarta qualitatis ſpecie. *Qua ſubiectum à natura aptum*

eſt) Hæc conditio potentiam naturalem ab habitu & diſpoſitione diſtinguit. Nam potentia naturalis cum ſubiecto naſcitur, habitus nato advenit: ſed tam illius quàm huius finis eſt operatio. *Impotentia naturalis, &c.*) Impotentiæ nomen vel ſumitur privativè, ut cum dicimus cæcitatem & ſurditatem eſſe impotentias, & hoc ſenſu non habet locum directè in hac ſpecie Qualitatis; quoniam Qualitas, quæ per ſe & directè ſedem habet in Categoria, eſt verum & poſitivum ens: Vel ſumitur, ut in aphoriſmo diximus, nempe pro potentia & facultate patiendi, quæ non eſt ſimpliciter impotentia, ſed dicitur impotentia reſpectu potentiarum agendi & reſiſtendi. Cæterùm, nomen potentiæ quandoque latè ſumitur & complectitur quoque habitus & diſpoſitiones ut patet ex 9. Metaph. c. 5.

4. *Tertia Qualitatis ſpecies patibilem Qualitatem, & paſſionem comprehendit: quæ eodem ferè modo differunt quo habitus & diſpoſitio: nam Qualitas illa quæ ſi in ſubiecto diuturna eſt, dicitur patibilis; eadem, ſi evanida eſt, & cum paſſione accedit atque recedit, dicitur paſſio. Definitione ergo communi patibiles Qualitates & paſſiones definiri poſſunt, qualitates à quibus ſen-*

ſus patiuntur, vel quæ ex paſſione oriuntur.

Exempli gratia rubor in facie diuturnus appellatur patibilis Qualitas; Sed qui ſubitò oritur ex verecundia ſubitoque recedit vocatur paſſio, nomine efficientis ad effectum tranſlato. Sic pallor naturalis aut qui ex morbo provênit eſt patibilis qualitas; qui autem oritur ex timore, eoq; abeunte unà abit, dicitur paſſio. Sub hac ſpecie qualitatis continentur propria quinq; ſenſuum obiecta, nempe colores & lux, ſoni, odores, ſapores, & tactiles qualitates calor, frigus, humor, atque ſiccitas: porro qualitates internæ quæ animalibus à paſſione & perturbatione accidunt, ut amor, ira, odium, amentia, &c. Amare, iraſci, & odiſſe non ſunt qualitates, ſed impreſſiones inde in appetitu relictæ ſunt qualitates. *Qualitates à quibus*) Qualitates patibiles duorũ ſunt generũ: quædam agunt in ſenſus, ut dulcedo, amaror, calor, frigus: aliæ non agunt in ſenſus, ſed ex paſſione oriuntur, ut amentia, aliæque impreſſiones internæ. Ideoque in definitione non diximus abſolutè, patibilem qualitatem vel paſſionem eſſe à qua ſenſus patitur; ſed ſub disiunctione, patibilem qualitatem aut paſſionem eſſe à qua ſenſus patitur, aut quæ ex paſſione aliqua oritur.

5 *In quarta qualitatis ſpecie collocantur forma cuiuſque rei externa, & figura. Forma externa eſt ſecũdum quam ſub-*

iectum denominatur pulchrum aut deforme. Figura eſt certus modus & determinatio magnitudinis.

Forma alia eſt interna & ſubſtantialis, ut anima eſt forma animalis; & unaquæque ſpecies corporis naturalis formam habet internam, quę principium eſt & cauſa unde manant propriæ eius affectiones & operationes, ut à forma magnetis eſt quòd magnes ferrum ad ſe trahat, vel à forma ferri quòd potius magnetem petat quàm arbor aut alia quæpiam res: de hac ergo forma non iam loquimur. Alia eſt externa & in ſuperficie corporis oculis ſubiecta; & hæc eſt quam vocamus Qualitatem. Nonnunquam nomen formæ extenditur ad omne accidens, quia ut ſe habet forma interna ad materiam, ita accidens ad compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali. *Figura eſt certus, &c.)* Exempli cauſa, rectitudo & obliquitas ſunt modi & affectiones lineæ, & rotunditas, & prominentia angulorum ſunt certi modi & affectiones ſuperficiei: quapropter rectum, obliquum, rotundum, quadratum, & aliæ huiuſmodi affectiones ac determinationes magnitudinis, ſunt figuræ. Collocantur autem in Categoria qualitatis quia appoſitè redduntur quæſtioni quale eſt, non autem quæſtioni quantum eſt, etiamſi nihil aliud ſint, quàm modi & determinationes magnitudinis. Ex dictis colligi poteſt diſcrimen inter formam externam atque figuram, nam figura dicitur tantùm reſpectu ſuperficiei: Sed forma dicitur partim

reſpectu ſuperficiei, partim verò reſpectu coloris in ſuperficie apparentis: ideoque non quæcumq; facies benè figurata eſt formoſa dicenda eſt; cum poſſit eſſe conveniens figura ſine conveniente coloris conſtitutione.

6. *Qualitatis tres ſunt affectiones: nempe, habere contrarium, recipere magis & minus, & efficere ut ſubiecta dicantur ſimilia uel diſſimilia. Prima & ſecunda non omni conueniunt qualitati, tertia & omni & ſoli.*

Exempli cauſa, iuſtitia iniuſtitiæ, avaritia profuſioni, calor frigori, & albedo nigredini contraria ſunt. Sic unus alio dicitur magis vel minus iuſtus, aut iniuſtus, aut avarus, &c. Sed non omnis qualitas habet contrarium, nam viſui, auditui, cæteriſque ſenſibus nihil eſt contrarium: cæcitas enim & ſurditas non opponuntur viſui & auditui ut contraria, ſed ut privationes, ut c. 13. huius libri patebit. Neque omnis qualitas intenditur & remittitur: nam unum triangulum non eſt magis triangulum quàm alterum, & unum quadratum non eſt magis quadratum quàm alterum. In qualitate fundatur ſimilitudo ac diſſimilitudo, ſicut in quantitate æqualitas ac inæqualitas: Exempli cauſa, iuſtus iuſto ſimilis, & iniuſto diſſimilis dicitur, non ratione eſſentiæ humanæ, nec ratione magnitudinis, ſed ratione iuſtitiæ & iniuſtitiæ.

CAPVT VIII.

De Relatis.

1. *Relata ſunt, quæ idipſum quod ſunt aliorum eſſe dicuntur, aut alio quovis modo ad aliud referuntur.*

EXempli gratia: Dominus & ſervus ſunt relata, quoniam Dominus hoc ipſum quod eſt dicitur eſſe ſervi, & viciſſim ſervus Domini: ſic pater, eſt pater filii, & filius patris. *Aliorum eſſe dicuntur*) id eſt, in genitivo caſu mutuò referuntur, cuiuſmodi ſunt exempla iam propoſita. *Aut alio quovis modo*) id eſt, in alio quodam caſu: ut maius eſt minore maius, & minus eſt maiore minus, prius eſt poſteriore prius, & poſterius eſt priore poſterius: aut etiam ſine caſu; ut magnum nec dicitur parvi magnum, nec parvo magnum, ſed dicitur magnum reſpectu parvi, & parvum reſpectu magni. quandoque relatum refertur in uno caſu, & correlatum in altero: ut ſcientia eſt ſcibilis ſcientia, & ſcibile eſt ſcientiâ ſcibile; ſenſus eſt ſenſibilis ſenſus, & ſenſibile eſt ſenſu ſenſibile; ala eſt alati ala, alatum eſt alâ alatum.

2. *Relata duplicia ſunt: quædam ſecundum*

dum dici, alia ſecundum eſſe. Relata ſecundum dici ſunt, quæ nomine referuntur, ſed eſſentiam habent non in mera relatione poſitam. Relata ſecundum eſſe ſunt, quorum eſſentia conſiſtit in mera relatione: ſive, quorum eſſe nihil aliud eſt quàm ad aliud aliquo modo affectum eſſe.

Exempli gratia: ſcientia & ſcibile ſunt relata ſecundum dici tantùm, non autem ſecundum eſſe, quoniam ſcientia eſt vera qualitas. Itidem ſenſus refertur ad ſenſibile; eius tamen eſſentia non eſt mera relatio, ſed eſt in ſecunda ſpecie qualitatis, ſi nomen ſenſus ſumatur pro facultate ſentiēdi: vel in Categoria Actionis, ſi ſumatur pro actu ſentiendi. Similiter, Qualitas, Quantitas, cæteraque accidentia, referuntur ad ſubſtantiam; ſunt enim Quantitates quantorum quantitates, & qualitates qualium qualitates; attamen habent eſſentias abſolutas. At dominus & ſervus, pater & filius, maritus & uxor, ſocer & gener, præceptor & diſcipulus, ſunt relata ſecundum eſſe: nam eſſentia patris, ſive paternitas, eſt mera relatio ad filium; & eſſentia domini, ſive dominatio, eſt mera relatio ad ſervum, &c. In Categoria autem relatorum non quælibet relata collocantur, ſed tantummodò relata ſecundum eſſe.

3. *Relata alia ſunt eiuſdem nominis, quæ vulgò dicuntur relata æqualis comparationis, & relata æquiparantiæ: alia ſunt nominibus diverſa, quæ vulgò appellantur relata inæqualis comparationis, ſive relata diſquiparantiæ.*

Exempli gratia: amicus eſt amici amicus, ſimilis eſt ſimili ſimilis, æqualis æquali æqualis, hoſpes eſt hoſpitis hoſpes, inimicus eſt inimici inimicus, diſſimilis diſſimili diſſimilis, &c. In ſingulis his relatorum paribus relatum & correlatum nomine conveniunt. At duplum & dimidium, prius & poſterius, Dominus & ſervus, ſignum & ſignificatum nominibus differunt.

4. *In relatis hæc quatuor ſunt diſtinguenda: Subiectum, fundamentum, terminus, & relatio. Subiectum à termino ſemper diverſum eſt in relatis realibus: at ſubiectum à fundamento non ſemper diverſum eſt.*

Exempli gratia: pater eſt relatum, ſubiectum relationis eſt homo aliquis ut Philippus: fundamentum relationis eſt potentia generandi educta in actum: terminus eſt Alexander generatus: re-

latio eſt ipſa paternitas,ſecundum quam Philippus denominatur pater, ut Philippus denominatur fortis à fortitudine. Relatum enim eſt concretum, ſicut fortis: relatio eſt abſtractum,ſicut fortitudo. Terminus relationis propria appellatione dicitur correlatum. Impoſſibile prorſus eſt ut relatio non reſultet poſito fundamento & termino: ut fieri non poteſt quin in Philippo ſit paternitas, ſi Alexandrum genuit, & Alexander genitus vivit. Philippus autem & Alexander ſunt res diverſæ, quoniam ſubiectũ & terminus diverſa ſunt, quoties relatio realis eſt: quare cum aliquis refertur ad ſe ipſum, ut cum dico, *Socrates eſt idem ſibi*, relatio non eſt realis, ſed rationis duntaxat. Non tãtùm homo homini,aut lapis lapidi dicitur æqualis, ſed etiam hora horæ,& numerus numero: ac proinde non ſemper reperitur fundamentum diverſum à ſubiecto. Cùm enim lapis lapidi dicitur eſſe æqualis, ſubiectum & fundamentum ſunt diverſa, quoniam lapis eſt ſubiectum, & magnitudo lapidis eſt fundamentum æqualitatis: at cum hora horæ æqualis dicitur, non eſt fundamentum aliud à ſubiecto relationis, nam hora ſubiectum eſt quod refertur, & fundamentum relationis non eſt aliud quidquam niſi ipſa quantitas quæ hora appellatur.

5. *Relatorum affectiones ſunt quinque: habere contrarium, recipere magis & minùs, referri ad correlatum reciprocum, eſſe ſimul naturâ, & eſſe ſimul*

cognitione.

Habere contrarium) Exempli cauſa, æquale & inæquale, ſimile & diſſimile, amicus & inimicus, ſunt contraria quodammodo. Non eſt relatum ullum ſuo correlato contrarium; ſed dicitur relatũ habere contrarium, quoniam poteſt eſſe contrarium correlato alterius cuiuſpiam: Exempli gratia, correlatum æqualis eſt æquale, & correlatum ſimilis eſt ſimile; æquale æquali non eſt contrarium, ſed inæquali, ſimile ſimili non eſt contrarium, ſed diſſimili. Sed non omne relatum habet aliquid ſibi contrarium: nam domino, patri, marito, aliiſque multis, nihil eſt contrarium: quippe dominus & ſervus non ſunt contraria, etſi rudi cuipiam & imperito rerum Logicarum ſic fortè videri poſſit, ut patebit c. 13. huius libri. *Recipere magis & minùs.*) quippe ſimilium alia aliis ſunt magis aut minùs ſimilia, & amicorum alii aliis ſunt magis aut minùs amici. Sed neque hæc affectio omnibus competit relatis: nam pater, & dominus, & horum correlata, non recipiunt magis & minùs. Qui enim centum liberos habet, is plurium eſt pater quam qui unicum natum habet, non tamen idcirco eſt magis pater: quod ſi fortè quis negaret; ſaltem negare non poſſet, eorum qui filii dicuntur unum non eſſe magis filium quam alterum; ſic duplum & dimidium ſunt relata, duplorum autem unum non eſt magis duplum quàm alterum. Cæterum, propriè loquendo relata non recipiunt magis & minùs, niſi ratione fundamenti. *Referri ad correlatum reciprocum*) unumquodque relatum ha-

bet correlatum reciprocum, ſive æquè latè patens: Exempli gratia, dominus habet pro correlato ſervum, ſervus autem cum domino reciprocatur, quia omnis dominus habet ſervum, & omnis ſervus ſubeſt alicui domino. Si fortè correlatum non videtur reciprocum, id accidit ob vocabulorum penuriam, ac proinde, ne inter ratiocinandum fallamur, pro vocabulis vulgò uſitatis quandoque profuerit nova procudere nomina. Exempli cauſa, ala & avis non reciprocantur, cùm & muſcæ, & veſpertiliones, & apes, alas habeant; ac proinde avis non eſt verum correlatum alæ, quapropter non eſt dicendum alam eſſe avis alam, ſed alam eſſe alati alam, etiamſi fortè dictio alatum non eſſet in uſu apud latinè loquentes. Sic correlatum capitis non eſt animal, cùm non omne animal caput habeat, (ut videre eſt in oſtreis quæ, etſi animalia ſint, caput non habent): ſed capitatum, quia omne & ſolum capitatum habet caput. *Eſſe ſimul naturâ)* Simul naturâ dicuntur, quæ reciprocantur ſecundum exiſtentiam, ſive quorum unum non poteſt eſſe ſine altero, & quorum unum non eſt cauſa alterius, ut c. 14. huius libri dicemus Relata ergo ſunt ſimul naturâ, quoniam nec poteſt eſſe relatum ſine correlato, nec correlatum ſine relato; & nec relatum correlati, nec correlatum relati cauſa eſt. Exempli gratia, pater non poteſt eſſe ſine filio, nec filius ſine patre; dominus nemo eſt ſine ſervo, nec ſervus quiſpiam eſt ſine domino: non eſt tamen pater filii cauſa, nec filius patris, nec dominus ſervi, nec ſervus domini. *S*ubiectum paternitatis, ut Philippus, poteſt eſſe abſq;

ſubiecto filiationis nempe Alexandro; & ſubiectum dominationis poteſt eſſe abſque ſubiecto ſervitutis, ut Amphitruo abſque Soſia: Sed non eſt Philippus pater, ſi nullus ei filius eſt; nec eſt Amphitruo dominus, ſi nullus ei ſervus eſt. Sic quoq; ſubiectũ paternitatis eſt cauſa efficiens ſubiecti filiationis, ſed pater, qua pater, non eſt cauſa filii quatenus eſt filius, hoc eſt paternitas in Philippo nõ magis eſt cauſa filiationis in Alexandro quã filiatio in Alexãdro eſt cauſa paternitatis in Philippo. Hæc affectio non omnibus competit *relatis ſecundũ dici*, ſed cõpetit omnibus *relatis ſecũdum eſſe. Eſſe ſimul cognitione*) Hæc affectio maximè propria eſt relatis ſecundum eſſe. Relatorum ergo ſecundũ eſſe unum ſine altero cognoſci non poteſt, adeoq; nec definiri. Exempli cauſa, etſi poſſim cognoſcere eum qui filius eſt, cum ignoro eum qui pater eſt; tamen non poſſum cognoſcere eum eſſe filium, niſi cognoſcam eius patrem. Similiter poſſum cognoſcere eum qui maritus eſt, cum ignoro eam quæ uxor eſt; ſed non poſſum cognoſcere definitè & determinatè ac certò, eum eſſe maritum, niſi cognoſcam eius uxorem.

CAPVT IX.

De reliquis ſex Categoriis.

1. *Actio eſt ſecundùm quam aliquid denominatur agens. Agere eſt vim atque*

potentiam ſuam exercere. Actio autem alia eſt immanens, alia tranſiens. Actio immanens eſt cuius terminus eſt in ipſo agente. Actio tranſiens eſt cuius terminus eſt extra agentem.

HAnc Categoriam Ariſt. vocat Categoriam τοῦ ποιεῖν, accipiens verbum ποιεῖν non ſtrictè ut opponitur τῷ πράττειν καὶ τῷ θεωρεῖν, ſed in latiſſima ſignificatione pro ἐνεργεῖν, id eſt, operari & vim ſuam quolibet modo exercere. Actio ergo iam à nobis latè & fusè ſumitur, prout complectitur in ſe tam contemplationem, quam actionem moralem, aut effectionem artificis, quæ ut differant vide prolegom. c.3. ubi exponimus definitionem Logicæ. *Actio eſt ſecundùm quam)* Haud facile poteſt alia aptior actionis definitio afferri. Nam ut taceam, nullum genus ſummum poſſe perfecta definitione definiri, actionis definitionem inventu difficilem reddit propria actionis conditio & natura, quia non eſt res ulla, ſed tantùm modus quo res quæ non erat, incipit eſſe. Actio igitur eſt ipſa agentis vel efficientis cauſalitas, ſive eſt formalis ratio ſecũdum quam aliquid denominatur agens: Exempli cauſa, Deus eſt agens vel efficiens, creatura eſt effectum Dei, creatio ſive modus quo creatura à Deo pendet eſt Dei actio. Vnde patet actionem non eſſe effectum, ſed eſſe ipſum *fieri*, quatenus ab agente vel efficiente procedit. *Actio autem alia eſt, &c.)* Omnis actio habet terminum

aliquem. Terminus autem actionis eſt id quod actione fit: nam id quod fit eſt terminus & finis ipſius *fieri*. Exempli gratia, calor eſt terminus calefactionis, creatura eſt terminus creationis, verbũ mẽtis ſive ſermo internus eſt termin⁹ intellectionis, &c. Si ergo terminus, ad quẽ actio via eſt, internus eſt & in ipſo agente tãquam in ſubiecto, actio eſt intranſitiva ſive immanens: ut intelligere, amare, odiſſe, &c. Si terminus actionis eſt extra agentem, dicitur actio tranſiens: ut creatio, nam creatura, quæ eius terminus eſt, eſt quiddam externum reſpectu Dei: ſic calefactio eſt actio tranſiẽs, quia calor calefactione productus non in igne calefaciente inhæret, ſed recipitur in materia aliqua externa, ut aquâ, aut oleo.

2. *Actionis affectiones duæ ſunt: habere contrarium, & recipere magis & minùs: quæ tamen ei non competunt formaliter ſed ratione termini.*

Exempli cauſa, calefacere & frigefacere ſunt contraria, ſed non-niſi quia calor & frigus ſunt contraria. Atque hinc eſt quod non omni actioni detur actio contraria, ſed illi duntaxat cuius terminus habet aliquid ſibi contrarium: quare ſcribere eſt actio cui nihil eſt contrarium, quia figura quæ à ſcribente ducitur nihil habet ſibi contrariũ. Generare autem & corrumpere non ſunt propriè contraria, ſed opponuntur privativè: ſimiliter creatio & rei creatæ ad nihilum reductio ſive ad-

nihilatio non ſunt actiones contrariæ, imò adnihilatiò non eſt actio, quia omnis actio terminum aliquem habet, at adnihilatio nihilo terminatur. Magis agere dicitur quod facit patiens magis tale, ſive, quod producit terminum in gradu intenſiore: Exempli cauſa, illud magis calefacit quod reddit materiam externam magis calidam. Itaque intenſio & remiſſio non competunt actioni niſi reſpectu termini: quare non omnis actio intenditur & remittitur, cum non omnis actio habeat terminũ intenſionis & remiſſionis capacem. Exempli cauſa, generare non recipit magis & minùs, quoniam ſubſtantia generata non recipit magis & minùs; ſic pingere, vel ſcribere non recipit magis & minùs, quoniam figura non recipit magis & minùs.

3. *Paſſio eſt ſecundum quam aliquid denominatur patiens. Pati eſt ab agente aliquid recipere. Paſſio alia eſt ſpiritalis, quæ fit ſine mutatione corporis: alia materialis vel corporea, quæ dividitur in ſubſtantialem, & accidentalem. Paſſio ſubſtantialis eſt qua forma ſubſtantialis introducitur in materiam, aut è materia expellitur. Paſſio accidentalis eſt mutatio vel ſecundum quantitatem, ut accretio & diminutio:*

Vel ſecundum qualitatem, & dicitur alteratio: Vel ſecundum locum, & dicitur loci mutatio.

Omni agenti reſpondet aliquod patiens, excipias modò Deum qui omnia fecit ex nulla materia præſtrata. Quare omni actioni reſpondet aliqua paſſio, excipias modò creationem. Quemadmodum ſupra diximus actionem eſſe ipſum *fieri* rei quatenus ab aliquo eſt, terminum verò actionis eſſe *id quod fit*: ita *fieri* rei cuiuſque quatenus recipitur in aliquo dicitur Paſſio *quod* verò *fit* non dicitur paſſio, ſed eſt ſubſtãtialis forma aut qualitas aut quãtitas, aut locatio. Exẽpli gratia, calefactio eſt ipſum fieri caloris: calefactio autẽ, reſpectu eius à quo eſt, dicitur actio; & reſpectu eius in quo calor recipitur, dicitur paſſio, ipſe autem calor qui fit, nec eſt paſſio nec actio, ſed eſt qualitas. Vnde liquet actionem & paſſionem, quando actioni aliqua paſſio reſpondet, differre ſolùm ratione diverſorũ: nam inchoatio vel *fieri* rei eſt actio reſpectu principii unde eſt, & eſt paſſio reſpectu ſubiecti in quo eſt id quod fit. Quin etiam actio immanens eſt & actio & paſſio eiuſdem rei, reſpectu non eodem: Exempli gratia, intelligere eſt actio intellectus quatenus ab intellectu eſt; & eſt intellectus ſive mentis paſſio, quatenus in ipſa mente eſt, tanquam in ſubiecto. Sed creatio eſt actio Dei, nullius verò paſſio, quia nihil erat creationi præſtratum quod creationem reciperet. *Paſſio alia eſt ſpiritualis &c.* Exempli gratia intelligere, & velle, aut

nolle, ſunt paſſiones ſpiritales ſedem habentes in intellectu, & voluntate. ſic & videre, vel imaginem & ſpeciem rei viſibilis intra oculum recipere, eſt paſſio ſpiritalis, quia ſpecies obiecti recipitur in oculo ſine oculi alteratione. At calefactio eſt paſſio corporea, quia calor eſt accidens receptum in corpore. *Paſſio ſubſtantialis.*) Generatio & corruptio ſunt paſſiones ſubſtantiales, quia materia in generatione ornatur, & in corruptione ſpoliatur forma ſubſtantiali, quæ eſt altera corporis cuiuſque naturalis pars: at in accretione, diminutione, alteratione, & motu locali, manet incolume compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali. De his mutationibus plura iam dicere nihil attinet, cum plena earum explicatio è Phyſicis petenda ſit.

4. *Paſſionis eædem ſunt affectiones quæ actionis.*

Quippe quædam paſſiones habent contrarium, & intenduntur atque remittuntur; ut calefieri & frigefieri ſunt contraria, & unum altero magis minuſve calefieri & frigefieri dicitur.

5. *Vbi, eſt quod appoſitè reſpondetur quæſtioni de loco: ſive, ubietas eſt certi loci deſignatio.*

Quæſtiones de loco ſunt *Vbi? Vnde? Quo? Qua?* His autem ſingulis aptè reſpondemus per

attributa quæ in hac Categoria diſponuntur.

6. *Quando, eſt deſignatio certi temporis quo aliquid eſt aut fit: ſive, Quando, eſt per quod appoſitè reſpondemus quæſtioni Quando.*

Non dico in hac Categoria contineri ea omnia quæ reſponderi poſſunt cuilibet quæſtioni de tempore. Quæſtiones enim de tempore duæ ſunt, *quandiu*, et *quando*? Quarum prior pertinet ad Categoriam quantitatis, poſterior hanc Categoriam conſtituit. Exemp. cauſa, quærenti quamdiu? reddendum eſt ipſum ſpatium temporis vel duratio, ut quamdiu vixit hic, aut ille? triginta, aut ſexaginta annos. Sed quæſtioni quando? non eſt reddendum ſpatium ullum temporis, ſed dumtaxat deſignandum eſt tempus per certam epocham: ut quando mortuus eſt? vere, æſtate, autumno, aut hyeme, Calendis, Nonis, Idibus, Olympiade prima, ſecunda, &c.

7. *Situs, eſt partium corporis ordo inter ſe mutuò, & reſpectu partium loci. Eſtq; alius naturalis, alius voluntarius, alius contra naturam.*

Naturalis ſitus membrorum eſt, quód caput ſit ſupra humeros, pectus ſupra ventrem, &c. Contra naturam eſſet, ſi oculi eſſent in pectore, &

manus exсreſcerent è capite ſicut auriculæ, &c. Voluntarius ſitus eſt, ut ſedere, vel ſtare, vel alio quovis modo membra corporis inflectere.

8. *Habitus, eſt corporis externi figura quatenus alteri corpori circumpoſitum aut appenſum eſt.*

Figura cuiuſque corporis ſimpliciter accepta pertinet ad quartam ſpeciem qualitatis. Sed figura corporis quod alteri corpori circumpoſitum eſt, aut appenſum, quatenus eſt talis ultimam hanc Categoriam conſtituit. Habitus ſolis convenit hominibus, rebuſq; in hominum uſum comparatis, ut ſunt equi quos frenis, phaleriſque ornamus, & ad belli uſum armamus; ſimiæ quas ob voluptatem veſtimus, & ædes quibus aulæa appendimus. Diviſiones habituum variæ tradi poſſunt: ab uſu dividuntur in habitus pacis, ut eſt toga, vel tunica; & habitus belli, ut eſt lorica, vel galea: à partibus quas tegunt aut ornant dividi poſſunt, ut alii ſunt capitis, qualis eſt pileus; alii pedum, cuiuſmodi ſunt calcei: porrò alii ſunt commoditatis gratia, alii voluptatis & elegantiæ. De variis habitus ſignificationibus diximus in prima ſpecie qualitatis. Verbum *habere* diverſimodè uſurpatur: dicitur enim quiſpiam habere ſcientiam, habere agrum, habere uxorem aut liberos, habere manum aut pedem, habere tunicam, &c. Vide ipſum Ariſt. c. ultimo Categ. Me verò iam ferè pœnitet tot verba in explicationem habitus impendiſſe, cum eius

in Philoſophia uſus perexiguus ſit & fortè nullus, quemadmodum ex primo capitis ſequentis aphoriſmo clarius patebit.

CAPVT X.

Quæ Categoriæ quibus diſciplinis maximè reſpondeant, & quomodo ad Categorias revocanda ſint quę per ſe & primariò in Categoriis locum non habent.

I. *Singulæ Categoriæ materiam ſuppeditant in diſciplinis liberalibus conſiderandam, excipias modò Categoriam habitus, quæ propterea à cæterarum dignitate longo abeſt intervallo.*

HVius aphoriſmi veritas inductione patebit. Subiectum Phyſicæ eſt ſubſtantia corporea, ſubiectum Metaphyſicæ non quidem adæquatum ſed principale eſt ſubſtantia incorporea: Mathematica verſatur circa quantitatem: Philoſophus moralis & Medicus circa qualitatem; ille circa qualitates & affectus animæ; hic circa qualitates corporis, ut ſunt morbus & ſanitas, & herbarum

vires ac potentiæ: in Theologia Chriſtiana ſingularis eſt doctrinæ de relatis uſus, ad explicandas relationes perſonarum Sacro-ſanctæ Trinitatis, & Sacramentorum habitudines ad res ſignificatas: de actione & paſſione diſputat etiam Philoſophia moralis & Phyſica: Categoriæ ubi & ſitus in Geographia: Categoria quando in Chronologia tractatur: habitus illiberalibus opificibus, ut ſutoribus, ſartoribus, phrygionibus, & fabris, &c. tractandus relinquitur.

2. *Etſi in Categoriis, pro inſtituti noſtri ratione iam ſatis ſuperque explicatis, nihil primariò & per ſe locum habeat præter genera & ſpecies, tamen ad eas ſuo modo pertinent individua, differentiæ, partes eſſentiales & integrantes, principia & termini, privationes, entia ficta, & ens entium Deus cuius perfectio nullius Categoriæ limitibus claudi & comprehendi poteſt.*

In recta ſerie Categorica nihil comprehendi præter genera & ſpecies abundè patet ex definitione Categoriæ. Cætera quæ in aphoriſmo hoc enumeravimus ſuo quæque modo pertinere ad Categorias liquebit ex his quæ ſequuntur. Individua non ſunt directè in Categoriis, ſed directè

Digitized by Google

ſub categoriis. Differentiæ ſpecierum conſtitutivæ, & generum diviſivæ, nec ſunt directè in Categoriis, nec directè ſub Categoriis, ſunt tamen obliquè & ex tranſverſo in Categoriis, utpote generibus & ſpeciebus adiacentes. Partes eſſentiales & integrantes reducuntur ad tota quorum ſunt partes; ut materia & forma ad corpus; manus, pes venter, ad hominem, &c. Principia & termini referuntur ad ea quorum ſunt principia & termini, ut unitas ad numerum, punctum ad lineam, & momentum ad tempus. Privationes revocantur ad habitus oppoſitos, ut tenebræ ad tertiam ſpeciem qualitatis, quia ſunt privatio luminis; cæcitas ad ſecundam ſpeciem qualitatis, quia eſt privatio viſus; ita quoque ſurditas ad auditum, ſilentium ad ſonum, ſomnus ad vigiliam, quę ſenſuum externorum actio eſt revocatur. Entia ficta, ut Chimera, & Centaurus, ad ſubſtantiam, quia finguntur ex ſubſtantiis compoſita. Deus non eſt directè in Categoria, quoniam non eſt univerſale; nec directè ſub Categoria, quia cuilibet individuo vel ſingulari ſub certa ſpecie comprehenſo poſſunt eſſe multa perfectione æqualia & ſolo numero differentia, ut conſtat ex definitione ſpeciei: atqui nihil eſſe poteſt, immò nec ſine contradictionis implicatione fingi, quod perfectione Deo ſit æquale & ab eo differat numero duntaxat. Ad Categoriam tamen ſubſtantiæ in noſtris ratiociniis revocatur, quia ratio formalis qua ſubſtantiam ab accidentibus diſtinguimus, nempe, *Non eſſe in ſubiecto*, ei cum ſubſtantiis finitæ & certæ perfectionis communis eſt.

CAPVT

CAPVT. XI.

De quinque Prædicabilibus.

Hactenus notiones primas in ſuis ſingulas claſſibus diſpoſuimus: deinceps explicandæ ſunt affectiones quæ ex mutua earum ſic diſpoſitarum comparatione oriuntur. Quæ in Categoriis locum habent ea tribus potiſſimùm rationibus inter ſe comparari poſſunt; primò ratione convenientiæ & amicitiæ, ſecundò ratione diſcordiæ & oppoſitionis, tertiò ratione ordinis quo alia aliis priora aut poſteriora eſſe dicuntur.

1. *Eorum quæ in Categoriis collocantur convenientia & amicitia, alia eſt Logica; alia verò Phyſica. Amicitia terminorum logica eſt affectio qua unus terminus de altero prædicari aptus eſt. Sunt autem prædicabilia quinque: Ge-*

nus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens commune.

PRædicabile eſt quod de pluribus verè, propriè, & naturaliter affirmari poteſt. Nam quod de uno ſolo prædicatur, illud inter prædicabilia numerari non meretur, cum prædicatio eiuſmodi nullum in ſcientiis locum habeat, ut c. 4 diximus cum definitionem Categoriæ exponeremus. Omne igitur prædicabile eſt univerſale. Sed cum non tantùm omne univerſale de ſingularibus infra ſe in eadem ſerie Categorica locum habentibus verè, propriè, & naturaliter, prædicetur; verùm etiã nonnulla univerſalia de rebus non in eadem Categoria comprehenſis prædicari poſſint, ex diverſis prædicabilium reſpectibus ad ſubiecta de quibus prædicantur collectus eſt quinarius prædicabilium numerus. Exempli gratia, ſcientia non tantùm de Phyſica & Aſtronomia prædicatur, verùm etiam de homine cui inhæret; licet non eodem modo, eâdemque vocis formulâ ac figurâ: nam ut Aſtronomia eſt ſcientia, ita quoque Thales, vel Hipparchus eſt ſciens. Scientia igitur & Aſtronomiæ vel Phyſicæ, & homini attribuitur; quamvis attributionis formula illic ſit abſtracta, hic autem concreta. Prædicabile quodvis comparari poteſt vel cum primo & immediato ſubiecto, vel cum illis de quibus altero quodam interveniente & mediante prædicatur: Exempli gratia, animal prædicatur de homine vel beſtia tanquam de primo & immediato ſubiecto, idemque de Socrate vel

Platone prædicatur, ſed mediante homine; quia enim prædicatur de homine, ideo prædicatur de Socrate, vel hoc aut illo homine: ſimiliter ſenſitivum prædicatur de animali tamquam de ſubiecto immediato, idemque prædicatur de homine, ſed non niſi interventu & mediatione animalis, quoniam homo eſt animal. Numerus quinarius prædicabilium deſumptus eſt ex diverſis reſpectibus prædicabilium ad prima, & immediata ſubiecta. Quicquid enim de multis prædicatur illud primo ſubiecto cui attribuitur aut eſt eſſentiale, aut non. Prædicabile eſſentiale aut perfectè deſignat ſubiecti immediati eſſentiam, & dicitur ſpecies; nam ſpecies proximè prædicatur de indiuiduis, eorumque omnium eſſentiam perfectè & plenè deſignat: aut imperfectè denotat ſubiecti eſſentiam. Quod imperfectè denotat eſſentiam ſubiecti, illud denotat aut communionem eſſentialem qua ſubiectũ fruitur cum aliis multis, & dicitur genus: aut eſt reſtrictio qua generis communio ad unam ſpeciẽ coarctatur, & appellatur differentia. Prædicabile quod non eſt de eſſentia ſubiecti de quo primo prędicatur, vel eius eſſentiam neceſſariò conſequitur & cum eo reciprocatur, diciturque proprium: vel nullam habet cum eſſentia neceſſitudinem aut nexum eſſentialem, adeoque cum eò non reciprocatur, & appellatur accidens commune.

2. *Quid ſint Genus, Species, & Differentia, c. 3. huius libri oſtenſum eſt. Proprium eſt quod non ſignificat eſ-*

ſentiam, reciprocatur tamē cū ſubiecto: ſive, quod ſubiecto alicui ſoli omnibuſque ſub eo comprehenſis ſemper convenit, nec tamen eſt de eius eſſentia.

Porphyrius in ſua Iſagoge quatuor enumerat proprii acceptiones: ait, primò, proprium eſſe quod cōvenit ſoli alicui ſubiecto, ſed non omnib⁹ ſub eo cōpræhenſis, ut eſſe medicū, vel Geometrā, vel mercatorem, homini proprium eſt: Secundò propriū eſſe quod convenit omnibus quæ ſub aliquo compræhenduntur, ſed non illi ſolùm, ut nix alba eſt. ſed non ea ſolùm; & omnis homo bipes eſt, ſed non duntaxat homo: tertio, proprium eſſe quod ſubiecto alicui ſoli omnibuſque ſub eo compræhenſis convenit, ſed non ſemper, ut creſcere proprium eſt viventis, quia omne vivens & ſolum vivens creſcit, ſed non ſemper: quartò proprium eſſe quod ſubiecto alicui ſoli omnibuſque ſub eo comprehenſis ſemper convenit, ut omni & ſoli homini ſemper convenit, quòd ſit diſciplinæ & ſcientiarum capax, & quòd ſit riſibilis: & equo omni atque ſoli ſemper convenit facultas hinniēdi, &c. Ariſt. c. 5. lib. 1. Top. proprium dividit in proprium ſimpliciter, & proprium ſecundùm quid, vel quodammodo: proprium autem ſimpliciter dictum definit ut nos in aphoriſmo definimus. *Quod non ſignificat eſſentiam*) Sic diſtinguitur proprium à definitione, & à differentia ſpecifica reciproca, quale eſt ſenſitivum reſpectu animalis.

Proprium enim non eſt de eſſentia ſubiecti, ſed eſſentiam neceſſariò, atque naturaliter conſequitur: unde orta diſtinctio eius quod eſſentiale dicitur, in eſſentiale conſtituens, & eſſentiale conſequens. Genus, differentia, & definitio ſunt eſſentialia conſtituentia ſpeciei: proprium eſt eſſentiale conſequens, ut lux Soli, & ſummus caloris gradus igni eſſentialis dicitur, non tamen eſſentiam conſtituit, ſed ab ea emanat, eamque neceſſariò comitatur, ut umbra corpus denſum ſolaribus radiis oppoſitum. *Sed reciprocatur cum ſubiecto*) cum ſubiecto, ſubaudi, primo & immediato: riſibile enim non reciprocatur cum Socrate, ſed cum homine; quippe ſubiectum eius primum non eſt Socrates, ſed homo in communi, ac proinde riſibile non dicitur proprium Socratis, ſed hominis in communi. Si quis dicat, ergone riſibile eſt accidens commune Socratis? Reſpondebo, ne id quidem concedendum eſſe: quoniam diviſio prædicabilium in Genus, Speciem, Differentiam, Propriũ, & Accidens commune, intelligenda eſt comparato unoquoque prædicabili cum ſubiecto proximo & immediato, non autem cum aliqua parte ſubiecti proximi, ſive cum aliquo eorum quæ ſubiecto proximo inferiora ſunt, qualis eſt Socrates reſpectu hominis. Cæterùm, audiendus non eſt Porphyrius cum ait, proprium uni tantùm ſpeciei ſpecialiſſimæ convenire: nam ut ſpecies ſpecialiſſimæ ſuas habent proprietates, ita & ſubalternæ ſuas: exempli gratia, ut proprium eſt hominis poſſe capere grammaticam, vel Arithmeticam; ita quoq; proprium eſt corporis naturalis eſſe quantum, &

proprium eſt viventis nutriri alimento intra ſe recepto, atque per ſingulas corporis partes diſtributo.

3. *Accidens commune eſt quod adeſt & abeſt ſine ſubiecti interitu: ſive, quod à ſubiecto cogitatione ſaltem ſeparari poteſt non implicante contradictionem. Accidens enim commune aliud eſt ſeparabile, aliud inſeparabile. Separabile eſt quod à ſubiecto revera ſeparari poteſt. Inſeparabile eſt quod à ſubiecto revera ſeparari nequit, etiamſi cogitatione ab eo removeri poßit ſine implicatione contradictionis.*

Nomen accidentis dupliciter accipi poteſt: Primò ut opponitur ſubſtantiæ, & ita appellatio eſt abſoluta atque ſtabilis, non autem mutabilis reſpectu & comparatione variorum: exempli cauſa, virtus eſt accidens. ſumendo accidens ut opponitur ſubſtantiæ, & cum quocumque demùm cõparetur retinet nomen accidentis, utpote quod nomen eſt naturæ, non autem comparationis: Secundò ut opponitur eſſentiæ, & ita non eſt nomen abſolutum naturæ, ſed eſt appellatio certæ comparationis, ut virtus dicitur accidens hominis, cum tamen non poſſit dici accidens temperantiæ vel

iuſtitiæ. Accidens ut opponitur eſſentiæ aliud eſt proprium, quod eſſentiam neceſſariò inſequitur, ut modò diximus; aliud commune, quod contingenter & non ex neceſſitate naturæ ſubiecto convenit, & de hoc iam nobis dicendum eſt. *Adeſt & abeſt, &c.*) Hæc verba non ſunt intelligenda de actu, ſed de potentia; ut ſenſus ſit, omne accidens poſſe adeſſe & abeſſe *Sine ſubiecti interitu*) non hîc loquimur de interitu Phyſico, ſive de corruptione; ſed de interitu Logico vel Metaphyſico: quippe interitus vel deſtructio rei cuiuſpiam Metaphyſica conſiſtit in implicatione contradictionis. Quare omne accidens commune poteſt à ſubiecto ſeparari potentiâ Dei abſolutâ, quia Deus omnia poteſt efficere quæ non implicant contradictionem: ſed non poteſt omne accidens commune ſeparari a ſubiecto viribus & potentiâ naturalis agentis, alioqui enim nullum daretur accidens inſeparabile; inſeparabile enim eſt quod viribus naturæ à ſubiecto cui adeſt ſeparari non poteſt. *Cogitatione non implicante contradictionem*) cogitatio hominis ſani & vigilantis à cogitatione inſani vel ſomniantis differt, eo quod hæc contradictionem ſæpè involvat, illa verò nunquam. Sanus & vigilans poteſt mente concipere id quod non eſt, nec fuit, nec erit unquam; ſed non quod implicat contradictionem. Nigredo in Æthiope nota eſt indelebilis, & fruſtra Æthiopem laves: qui igitur animo fingit Æthiopem album, is fingit quod nunquam eveniet: non tamen eſt huiuſmodi cogitatio inſani aut ſomniantis, cum non implicet contradictionem, etiamſi enim æthiops mutaret

colorem, nihilominus integra maneret eius eſſentia, quia definitio hominis & definitio albi non ſunt repugnantia. Non ſic poteſt proprium à ſubiecto ſeparari: nam qui fingeret hominem non eſſe docilem, vel ſcientiarum capacem, is non tantùm fingeret quod evenire naturaliter non poteſt, verùm etiam in illa ſua cogitatione contradictionem implicaret, quoniam idem eſt fingere hominem nullius diſciplinæ capacem, & fingere hominem non hominem, cum diſciplinæ capacitas ſit proprietas ab eſſentia hominis neceſſariò fluens. Abſtractio quidem vel ſeparatio unius ab altero alia eſt ſimplex, alia complexa. Abſtractio ſimplex eſt cum duorum coniunctorum unum mente cōcipio altero prorſus non concepto, & hoc ſeparationis genere proprium à ſubiecto ſeparari poteſt: nam poſſum hominem mente concipere etiamſi non veniat mihi in mentem capacitas ſcientiarum quæ hominis eſſentiam neceſſariò conſequitur. Abſtractio complexa eſt qua duos terminos revera coniunctos divello apud me dicendo, eos non eſſe coniunctos; hoc modo proprium à ſubiecto divelli nequit, non enim poſſum hominem fingere prorſus ineptum ad ſcientias ſine implicatione contradictionis: Sed tam hoc ſeparationis genere quàm priori, accidens commune à ſubiecto ſeparari poteſt abſque implicatione contradictionis: quippe poſſum non tantùm concipere hominem qui genere Æthiops eſt non conſiderato eius colore, verùm etiam eum evaſiſſe album fingere poſſum ſine implicatione contradictionis.

4. *Genus, ſpecies, & differentia prædicantur* συνωνύμως; *proprium & accidens commune nequaquam.* Συνωνύμως *prædicari eſt prædicari & ſecundum nomen & ſecundum definitionem.*

Synonyma Latini univoca appellant. De homonymis, Synonymis, & paronymis infra ex profeſſo dicemus in explicatione affectionum quæ nominibus competunt: ac proinde iam ſatis erit notare, eius quod ſynonymως prædicatur tres eſſe conditiones neceſſarias: Primò communicat idem nomen omnibus de quibus prædicatur: Secundò eius nomini unica reſpondet definitio. Tertiò illa definitio debet eſſe eſſentialis illis omnibus quorum reſpectu dicitur prædicatio ſynonyma. Exempli gratia, animal prædicatur de homine & equo ſynonimως, quia primò homo dicitur animal, & equus dicitur animal; ſecundò nomini animalis unica reſpondet definitio, nempe *corpus animatum ſentiens*; tertiò ea definitio eſſentialis eſt & homini & equo. Non ſic prędicantur accidentia. Exempli gratia album prædicatur de lacte & nive; & nomini album, quatenus eſt denominatum ab albedine, unica reſpondet definitio; nempe ut *albedo eſt color viſionem diſſipans*, ita *album eſt coloratum viſionem diſſipans*; Sed hæc definitio non eſt eſſentialis lacti & nivi; verè quidem dico lac eſt coloratum viſionem diſſipās, & nix eſt coloratum viſionem diſſipans; ſed *eſſe coloratum viſionem diſſipans*

Digitized by Google

non eſt de eſſentia lactis aut nivis. Et hoc ſenſu accipiendum eſt quod ait Ariſt c. 5. Categ albi definitionem de corpore cui ineſt albedo non prædicari, omninoque nullius accidentis definitionem de ſubiecto prædicari: de quo prædicatur definitum de eo definitio quoque prædicatur; quare de quocumque prædicatur album de eo prædicatur definitio albi; ſed definitio albi non eſt eſſentialis ſubiecto albedinis, ac proinde non prædicatur de eo tamquam definitio.

CAPVT XII.

De Toto & partibus, Cauſa & effecto, Subiecto & adiuncto.

1. *Convenientiam Phyſicam terminorum appello quæ rebus competit ſpectatis prout ſunt, ſive ratione eſſendi, etiamſi non attendatur modus prædicandi. Huiuſmodi ſunt affectiones, Totum & partes, Cauſa & effectum, Subiectum & adiunctum. Totum eſt quod habet partes; & partes ſunt quæ totum conſtituunt. Eſtq; totum quadruplex: Vniuerſale formale, Eſſentiale, & Integrale. Vni-*

verſale, quod & potentiale appellatur, eſt quod dividitur in partes de quibus ſingulis prædicatur, ut genus eſt totum reſpectu ſpecierum. Formale eſt cuius definitio vel ratio formalis conſtat ex duabus rationibus quarum altera alteram determinat, ut ſpecies dicitur totum reſpectu generis & differentiæ. Eſſentiale eſt quod ex materia & forma tanquam ex partibus compoſitum eſt, ut eſt quodlibet corpus naturale, quatenus naturale. Integrum eſt quod habet partes integrantes, ſive quod habet partes quantas.

DE variis totius & partis acceptionibus vide Ariſt. 5. Metaph c. *25. & 26. Totum eſt quod habet partes.)* Nomen totius dupliciter ſumitur. Primò negativè, Secundò affirmativè. Negativè, ut cum dico Deum eſſe totum ubique, & animam humanam totam eſſe in qualibet corporis parte, quod ideo dico quia Deus & anima humana partes non habent, ut ſenſus harum enunciationum, *Deus eſt totus ubique, & anima eſt tota in qualibet corporis parte,* non alius ſit quàm Deum & animã humanam non eſſe in loco per partes, cum nullas

habeant partes. Affirmativè, totum eſt quod habet partes in quas dividi poſſit. *Vniverſale, quod & potentiale*) Potentiale vocatur quia genus in ſe non habet actu ſpecies, ſed tantùm potentiâ: genus enim indifferenter ſeſe habet ad oppoſitas ſpecies, donec per differentias reſtringatur, & per ſe eſt in potentia; per differentias autem conſtituitur in actu, & perficitur. Exempli gratia in definitione animalis nec homo nec equus actu comprehenditur, ſed animal & hominem & equum potentiâ complectitur, quoniam conceptus animalis ad differentias hominem & equum conſtituentes indifferenter ſe habet, & eodem modo quo cera informis ſe habet ad imagines Cæſaris, Alexandri, aliorumque, atqui cera informis dicitur poteſtate habere imagines Cæſaris, Alexandri, aliorumque. Idem quoque appellatur totum logicum, & totum prædicabile. *Formale eſt, &c.*) Exempli gratia, homo eſt totum formale, animal autem & rationale ſunt partes formales, quia conceptus formalis hominem repreſentans reſolvitur in animal & rationale tamquam in partes; omninoque definitum quodvis eſt totum formale reſpectu partium definitionis. Idem appellari poteſt totum Metaphyſicum, quoniam compoſitio ſpeciei ex genere & differentia non eſt Phyſica & realis, ſed eſt Metaphyſica. *Eſſentiale eſt quod, &c.*) Exempli gratia, homo reſpectu corporis & animæ eſt totum eſſentiale. Eodem ſenſu dicitur totum Phyſicum, quoniam ſubiectum Phyſicæ eſt corpus naturale, ſive compoſitum ex materia & forma; nam materia & forma naturæ nomine

comprehenduntur. Partes ergo eſſentiales nihil propriè habet niſi corpus: per analogiam tamen aliis rebus materiam & formam tribuimus, ut cum dicimus materiam ſyllogiſmi eſſe propoſitiones, eius autem formam eſſe diſpoſitionem terminorum & propoſitionum legitimam. *Integrum eſt, &c.*) Exempli gratia, homo reſpectu capitis, pectoris, ventris, cæterorumque membrorum eſt totum integrum; caput, pectus & venter ſunt partes integrantes: ſic domus eſt totum integrum reſpectu fundamentorum, parietum, & tecti Hoc genus totius vocatur etiam totum quantitate, vel totum Mathematicum, quia Mathematica verſatur circa quantitatem. Cæterùm, ut quantitas alia eſt diſcreta, alia continua; ita quoque totum integrale aliud eſt diſcretum, ut populus, grex, exercitus: aliud continuum, ut lignum, vel lapis, vel corpus humanum. Partes autem integrantes aliæ ſunt ſimilares, aliæ diſſimilares. Similares ſunt quæ ſunt eiuſdem naturæ vel ſpeciei, & inter ſe & cum toto cuius ſunt partes, ut quælibet pars lapidis eſt lapis, & quælibet pars ligni eſt lignum: Diſſimilares ſunt quę non ſunt eiuſdem ſpeciei inter ſe & cum toto cuius ſunt partes: ut caput, pes, & venter reſpectu hominis; caput enim non eſt homo, nec pes, nec venter.

2. *Cauſa eſt cuius vi res eſt. Eſtque alia interna, alia externa. Cauſa interna vel eſt materia, vel forma: Externa vel eſt efficiens, vel finis.*

Cauſa eſt, &c.) Quodcumque ita antecedit effectum, ut ſine eo effectum eſſe non poſſit id vulgò appellatur *cauſa ſine qua non*. Sed ex iis quæ effectum naturâ aut tempore antecedunt hoc duntaxat propriè & verè cauſa eſt, *cuius vi res eſt*, ſive quod aliquo modo tribuit *eſſe*. Poſſumus & ſic cauſam deſcribere. *Cauſa eſt quæ appoſitè redditur quæſtioni* διὰ τί, id eſt, *quamobrem*, ut colligere eſt ex Ariſt. 2. Phyſic. c. 7. *Eſtque alia interna, &c.*) Ariſtoteles 2. poſt. Analyt. c. 11. 2. Phyſic. c. 3. 1. Metaph. c. 3. & 5. Metaph. c. 1. ſtatuit quatuor genera cauſarum: Materiam, Formam, Efficientem, & Finem. Sed quadrimembris hæc diviſio non eſt proxima & immediata: quare, duobus generibus ad unum reductis, præſtat dicere, cauſam aliam eſſe internam, aliam externam, & illam ſubdividere in materiam & formam, hanc verò in efficientem & finem. Stoici nulla agnoſcebant cauſæ genera præter efficientem, ut videre eſt apud Senecam Epiſt. 65. Platonici materiæ, formæ, efficienti, & fini addunt quintum genus, nempe exemplar ad cuius ſimilitudinem res facta eſt: ſed exemplar, vel idea, ad efficientem revocari poteſt, quoniam eſt in mente principalis efficientis.

3. *Materia propriè accepta eſt cauſa ex qua res eſt: ſed nomen materiæ ad ſubiectum quoque accidentis, & ad obiectum efficientis tranſlatum eſt, ut præter materiam ex qua res eſt, dicatur alia*

materia in qua, alia verò circa quam.

SIC Ariſtoteles materiam definit 2. Phyſ. c. 3. τὸ ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος, id eſt, *id ex quo inexiſtente fit aliquid. Inexiſtente*, id eſt, permanente & ſubſiſtente in compoſito, ut æs dicitur materia ſtatuæ, quoniam æs manet in ſtatua quæ ex ipſo facta eſt. In qua definitione reſpexit ad præcipuam materiæ acceptionem: materia enim alia eſt alterationis, quæ non manet in compoſito; ut ligna ſunt materia ignis; nam ligna non ſunt amplius ligna ſi ex illis factus eſt ignis: alia eſt cõpoſitionis, quæ manet & ſubſiſtit in compoſito; ut æs vel marmor in ſtatua, & hæc eſt præcipua materiæ acceptio. Vnde manifeſtum eſt materiam eſſe cauſam internam. Ariſtoteles, 2. poſt. Analyt. c. 11. aliam quandam materiæ deſcriptionem adfert, aiens. *Materiam eſſe id quod quibuſdam poſitis neceſſe eſt poni*, quaſi dicas, materia eſt cauſa interna quæ poſito effecto ponitur etſi eâ poſitâ effectum non ponatur. Exempli gratia, ſi eſt ſtatua oportet eſſe marmor, aut æs, ſed non continuò ſi marmor aut æs eſt ſtatuam eſſe neceſſe eſt. *Sed nomen materiæ, &c.*). Exempli gratia, ignis dicitur materia caloris, roſa materia odoris, omnique ſubiectum cui inhæret accidens appellatur materia in qua. Obiectum ſcientiæ vel artis, vel operationis cuiuſlibet dicitur materia circa quam: ut corpus naturale eſt materia circa quã verſatur Phyſica, & corpus humanum eſt materia circa quam verſatur medicina, &c. Conſtat au-

tem ſubiectum non eſſe in accidente ſuo, & obiectum nō eſſe in operatione, aut arte, aut facultate quæ circa ipſum verſatur: ac proinde cum dicimus materiam eſſe cauſam internam, de materia *ex qua* ſolùm, non autem de materia *in qua*, & *circa quam*, loquimur.

4. *Forma eſt cauſa per quam res eſt id quod eſt.*

Exempli gratia, anima eſt forma animati, quia per eam animatum eſt animatum, eâque remotâ non ſupereſt animatum, ſed cadaver. Cæterorum corporum naturalium formæ nominibus carent & nobis ignotæ ſunt. Sic ſtatuæ forma eſt imago & figura eius corporis ad quod tamquam ad exemplar facta eſt. Figura (inquam) illa & imago, forma eſt ſtatuæ quatenus eſt ſtatua, ſive quatenus eſt effectum artis, non autem marmoris ex quo ſtatua facta eſt: nam forma externa quæ in quarta ſpecie qualitatis ſedem habet non eſt cauſa, ſed accidens corporis naturalis quatenus eſt naturale, tamē eſt cauſa corporis arte facti quatenus eſt arte factum. Forma eſt cauſa ὁμόγονος, & non tantùm poſito effecto eam eſſe neceſſe eſt, ut ſupra diximus de materia; verùm etiam eâ poſitâ effectum eſſe neceſſe eſt.

5. *Efficiens eſt cauſa à qua res eſt: eſtque alia per ſe efficiens, alia per accidens. Efficiēs per ſe vel eſt ſolitaria, vel ſocia:*

item vel eſt principalis, vel minùs principalis: item vel eſt remota vel proxima: itẽ vel eſt reciproca, vel nõ eſt reciproca.

Efficiens maximè meretur nomen cauſæ, ideoque effectum & cauſa cenſentur relata, quamvis effectum ſit terminus vel correlatũ efficientis tantùm, ſi vocabuli etymologiam intueamur. Efficiẽs definitur ab Ariſtotele 2. Phyſ. c. 3. *unde principium primum mutationis & quietis*, Sed ea eſt definitio efficientis phyſicæ mutationis, non autem efficientis in genere: non enim omnis efficiens efficit per mutationem ſubiecti. *Alia per ſe efficiens, &c.*) Efficientes per ſe ſunt quæ efficiunt aut naturæ ductu & impulſu, ut ignis ex ligno ignem efficit; aut mente & conſilio, ut artifices & prudentes. Fortuna & caſus (de quibus vide Ariſt. 2. Phyſic. c 4. 5. & 6.) ſunt efficientes per accidens. Fortunâ enim vel caſu aliquid fieri dicitur cum efficiens incidit in finem & eventum ad quem nec naturæ impetu, nec mente & voluntate ferebatur, ut hoſtis Iaſoni profuit qui gladio vomicam aperuit quam ſanare medici non poterant, ſic fortunâ evenit ut foſſor effodiat theſaurum, & ut ruina ſtabuli opprimat pecora: hoſtis enim non decreverat Iaſonem ſanare, ſed interficere; foſſor non quærebat theſaurum, ſed agrum ſemini accipiendo præparare volebat; lapides & ligna ruentia ductu & impetu naturæ humum petebãt, ſed pecori non inſidiabantur: quare hoſtis per accidens fuit cauſa ſalutis; & foſſio, reperti theſauri,

& ruina ædium, mortis pecorum. *Alia eſt ſolitaria,&c*) Efficiens ſolitaria,quæ & adæquata & totalis appellatur,eſt quæ efficit ſine aliis, ut cum aliquis ſolus ſaxum movet. Efficiens ſocia, ſive inadæquata & partialis, eſt quę non efficit niſi cum aliis,ut cum duo boves plauſtrum trahunt alteruter eſt cauſa partialis trahens. *Alia eſt principalis, &c.*) Vt miles eſt cauſa principalis vulneris inflicti, ſed militis manus,vel gladius eſt cauſa minùs principalis. Ad minus principalem reducuntur & inſtrumenta, ut in exemplo iam allato: & cauſę impulſivę efficientis ad agendum, quarum alię ſunt externæ quę laceſſunt & irritant agentem, ut iniuria eſt cauſa ultionis; aliæ ſunt internę, ut ira, odium, amor, ſunt cauſæ ultionis, nam qui iniuria affectus eſt non ulciſcitur niſi ſenſu iniuriæ tactus, & dolore, irâ, aliove animi affectu motus. Impulſiva externa græcè vocatur προκαταρκτικὴ, id eſt *inchoans & primitiva*: interna appellatur προηγουμένη id eſt, *antecedens*: ſed de his mox plura dicemus. Sub minus principali efficiente compræhenditur etiam idea vel exemplar ad cuius ſimilitudinem efficiens opus ſuum efficit, ut imaginis cauſa principalis eſt pictor, minùs principalis eſt idea quam pictor in animo habet. *Alia eſt remota, &c.*) Vt manus eſt cauſa remota vulneris, & gladius cauſa proxima. Cauſa proxima ab Ariſt. appellatur πρώτη ἢ ἄμεσος, id eſt, *prima et immediata*: à Philopono aliiſq; interpretibus, ſυνεχὴς & προσεχὴς, id eſt, *continua*, & ὁμόγονος, id eſt, *ſimul genita*. Sic cauſas morborum efficientes medici dividunt in tria genera: alia eſt efficiens προκαταρκτικὴ, quę appellatur

cauſa evidens & laceſſens et primitiva: alia προηγουμένη, quę *antecedens & intermedia* dicitur, & plęrunque abdita eſt: alia denique, eſt ὁμόγονος, & συνεκτική quę *proxima & continens* vocatur. Exempli gratia, cauſa febris evidens & externa eſt, ut frigora, aquilones, aut balneæ intempeſtivæ: intermedia, ut cutis conſtrictio: continens & proxima, ut humor in corpore putreſcens, aut accenſus. *Alia eſt reciproca, &c.*) Exempli gratia, ſol eſt cauſa reciproca radiorum, vel iubaris, & ignis eſt cauſa reciproca ſummi caloris, & anima rationalis eſt cauſa reciproca docilitatis: hæ enim efficientes cum effectis reciprocantur, & mutuò ſe ponunt atque tollunt. At febris nõ eſt cauſa reciproca mortis, non enim quicunque febricitat moritur ex febre.

6. *Finis eſt cauſa propter quam res eſt; & dividitur in finem cuius gratia efficiens operatur, & finem cui operatur ſive in cuius gratiam operatur: item in proximum, & remotum.*

Nomen finis ambiguum eſt: quandoque enim ſumitur pro extremo durationis, ut mors dicitur finis vitę; vel extremo magnitudinis, ut termini & limites agrorum dicuntur fines; quandoque ſumitur pro certo genere cauſæ, ut à nobis iam definitur, & hoc ſenſu non omne extremum eſt finis, ſed illud demùm quod bonum eſt, aut eſſe videtur efficienti propter ipſum. βούλεται γὰρ οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχα-

τὸ τέλος ἀλλὰ τὸ βέλτιστον, inquit Ariſt. 2. Phyſ. c. 2. id eſt, *non omne extremum eſt finis, ſed id quod eſt optimum. Finem cuius gratia, &c.*) Græci dicunt, finis alius eſt οὗ, alius ᾧ, quæ diviſio deſumpta eſt ex Ariſt. 2. Phyſ. c 2. & 2. de Anima c. 4. Exempli gratia, ſanitas eſt finis οὗ, ſive cuius gratia medicus ægrotum curat; ipſe autem homo ſanandus eſt finis ᾧ, ſive cui medicus operatur. *Item in proximũ, etc.*) Exempli gratia, finis ſtudii oratorii proximus eſt benè dicere, remotus eſt perſuadere: ſic bellum geritur propter victoriam tanquam finem proximum, & propter pacem & tranquillitatem tanquam finem remotiorem.

7. *Effectum eſt quod vi alicuius eſt: ideoque ex illis quæ de cauſis diximus effectorum genera ſatis manifeſta ſunt.*

Cauſa & effectum ſunt relata, ac proinde qui novit quid & quotuplex ſit cauſa, is quid & quotuplex ſit effectum ſatis tenet.

8. *Subiectum eſt cui aliquid inhæret vel adiacet. Adiunctum eſt quod alicui inhæret vel adiacet.*

Subiectum aliud eſt prædicationis, aliud dicitur ſubiectum reſpectu adiuncti. Suprà cum de prædicabilibus loqueremur oſtendimus quid attribuatur, & quid ſubiiciatur in enunciatione: nunc

verò ſubiectum & adiunctum cōſideramus Phyſicè ſive reſpectu connectionis in exiſtendo, non autem in prædicando. Adiunctum aliud internum eſt, ſive ſubiecto ineſt, ut albedo eſt adiunctum lactis: aliud eſt externum, quod ſubiecto non inhæret, ſed adhæret, ut tunica eſt adiunctū corporis, & ſignum quod ſimul eſt cum re ſignificata rei ſignificatæ adiunctum eſt, ut repentinus in facie pallor eſt adiunctum internæ animi commotionis.

CAPVT XIII.

1. *Fuit terminorum ſimplicium comparatio in convenientia: ſequitur eorundem comparatio in diſſenſione vel oppoſitione. Oppoſita ſunt quæ nec de ſe invicem, nec de eodem tertio, ſecundùm idem, ad idem, & eodem tempore verè prædicari poſſunt.*

OMnia oppoſita ſunt diverſa, ſed non omnia diverſa ſunt oppoſita: Exempli gratiâ, albedo & dulcedo non ſunt propriè oppoſita, cum de eodem, ut de lacte verè prædicari poſſint ſervatis cōditionibus in definitione oppoſitorum expreſſis, nemo tamen negabit albedinem & dulcedinem eſſe diverſa. *Secundum idem.*) id eſt, ſecundum ean-

dem partem: album & atrum ſunt oppoſita, poteſt tamen idem homo eſſe & albus & ater ſecundùm diverſas partes, ut Æthiops dentibus albus eſt, facie autem niger. *Ad idem*) hæc conditio adiecta eſt propter relatè oppoſita: Duplum enim & dimidiū ſunt oppoſita, & poteſt idem eſſe duplum atque dimidium, ſed non ad idem ſive reſpectu eiuſdem: Similiter idem poteſt eſſe & filius & pater, ſed non reſpectu eiuſdem. *Eodem tempore.*) Calor & frigus, viſus & cæcitas, divitiæ & paupertas, ſunt oppoſita, poteſtque idem homo eſſe calidus & frigidus, videns & cæcus, dives & pauper, ſed non eodem tempore. Has oppoſitionis conditiones expreſſit Ariſt. c. 5. de Sophiſt. Elenchis. Cæterùm, etſi oppoſita non poſſint ſervatis illis conditionibus prædicari de eodem, nihil vetat quin unum idemque de oppoſitis prædicetur: Exempli gratia, calor prædicatur de albedine & nigredine, quamvis albedo & nigredo non poſſint ſimul prædicari de eodem. Oppoſita igitur non diximus eſſe, de quibus idem non poteſt verè prædicari; ſed quæ de eodem non poſſunt verè prædicari, &c.

2. *Oppoſitorum duo ſunt genera: vel enim unum pluribus pariter eodemque modo opponitur, vel unum uni duntaxat. Si unum pluribus eodem modo opponitur diſparata appellantur.*

Exempli cauſa, homo & equus opponuntur,

ſed homo equo, cani, bovi, leoni, aliiſque multis ſpeciebus eodem modo opponitur, ideoque homo & equus ſunt diſparata: ſic rubrum & ceruleum ſunt diſparata, quia rubrum eodem modo opponitur ceruleo & flavo & viridi. At album & nigrum non ſunt diſparata, cum album ita opponatur nigro ut nulli tertio. Appoſitè enim in definitione diſparatorum poſuimus conditionem, *eodem modo*: nam album & nigrum non ſunt diſparata, licet album non tantùm nigro, ſed & rubro & viridi opponatur: alio enim modo opponitur album nigro quàm viridi. Sic & dominus & liber opponuntur ſervo, dominus tamen & ſervus non ſunt diſparata: alio enim oppoſitionis genere dominus, alio verò liber ſervo opponitur. Ariſtoteles oppoſitorum ſpecies enumerat c. 10. Categ. & 5. Metaph. c. 10. ſed utrobique oppoſitionem diſparatorum omittit; quia oppoſitio maximè propriè dicta, eſt qua unum contra unum certo ductu dirigitur: ut enim gravior eſt pugna cum omnes unius regis copiæ in unum hoſtem explicantur, quàm ſi diviſo bello pluribus certaret; ita infeſtior eſt & acrior pugna qua unum uni tantùm opponitur, quam ſi pluribus opponeretur.

3. *Cum unum uni tantùm opponitur, vel eſt oppoſitio formalis, vel tantùm materialis. Quæ formaliter opponuntur vocantur contradicentia; ſunt autem contradicentia oppoſita ſine omni medio.*

Oppoſitio formalis eſt quam facit particula negandi, *non*, præpoſita termino cuilibet ſimplici: ut album & non album, dominus & non dominus, dives & non dives. Oppoſitio materialis eſt quę non apparet in formula vocabulorum, ſed continetur in eorum ſenſu & ſignificatione: ut album & nigrum, dominus & ſervus, dives & pauper. *Sine omni medio.*) Medium inter oppoſita aliud eſt participationis, aliud negationis extremorum. Participationis medium eſt quod aliquatenus participat rationem utriuſque extremi, ut rubrum aut viride medium eſt inter album & nigrū. Medium negationis eſt quod per negationem extremorum deſignatur, ut Spiritus, vel anima, medium eſt inter album & nigrum; anima enim nec eſt alba nec nigra, ita quoque lapis mediū eſt inter ſanum & ægrum; lapis enim nec eſt ſanus nec æger. Contradicentia neutrum genus medii admittunt, ideoque vocantur oppoſita *ſine omni medio.* Exempli gratia, inter album & non album, videntem & non videntem, hominem & non hominem, aliaque huiuſmodi, nullum fingi poteſt medium, ideoque hæc ſunt contradicentia: at album & nigrum, videns & cæcum, aliaque huiuſmodi, non ſunt contradicentia, quia medium patiuntur.

4. *Materialiter oppoſitorum tria ſunt genera: relata, contraria, & privantia. Atque horum omnium oppoſitiones vim habent à contradictione quam im-*

plicant: ideoque omnis dubia oppoſitio examinanda eſt factâ reſolutione in contradictionem.

Hæc trimembris diviſio poteſt ad bimembrem ſic reduci: in materialiter oppoſitis uel utrumque extremum eſt reale & poſitivum, ut in relatis & contrariis: vel alterum eſt poſitivum, alterum privatiuum, ut in privantibus. Exempli gratia, dominus & ſervus ſunt relata, calor & frigus ſunt contraria, omneſque hi termini ſunt poſitivi & affirmantes: ſed viſus & cæcitas ſunt privantia, quia viſus eſt terminus poſitiuus, cæcitas autem terminus privativus. *Atque horum omnium, &c*) Prima & ſimpliciſſima puriſſimaque oppoſitio eſt terminorum contradicentium. Regula autem eſt Metaphyſica, *Primum in unoquoque genere eſt menſura cæterorum*, ex Ariſt. 10. Metaph. Contradictio ergo eſt menſura omnis oppoſitionis. Exempli gratia, album & nigrum ſunt verè oppoſita, quoniam nigrum eſt non album; ſic videns & cæcum ſunt oppoſita, quoniam cæcum eſt non videns. Si ergo dubium eſſet an album & nigrum ſint oppoſita, applicanda eſſet contradictio tamquam certa rectaque norma oppoſitionis hoc pacto, album & nigrum implicant-ne contradictionem? Si implicant, ſunt verè oppoſita: ſi non implicant, non ſunt oppoſita.

5. *Relata ſunt oppoſita quæ id quod ſunt aliorum eſſe dicuntur, aut alio quovis mo-*

do referuntur.

Relatorum oppoſitio levis eſt, tamen contemnenda non eſt. Relata enim dupliciter conſiderari poſſunt: primò quatenus reciprocantur mutuóque ſe ponunt & tollunt, & eatenus non ſunt oppoſita, ſed amica: Secundò, quatenus relatum & correlatum non poſſunt prædicari de eodem, ad idem, & eodem tempore, ut non poteſt idem eſſe einſdem dominus ſimul & ſervus, & ita manifeſtè oppoſita ſunt.

6. *Contraria ſunt quæ in eodem genere maximè à ſe invicem diſtant: ſive, quæ poſitiva ſunt & mutuò ſe expellunt è ſubiecto capaci. Suntque vel mediata, vel immediata. Mediata ſunt quorum non neceſſe eſt alterum ineſſe ſubiecto capaci. Immediata ſunt quorum alterum neceſſe eſt ineſſe ſubiecto capaci.*

Contraria ſunt, &c.) Sic Ariſtoteles definit contraria, c. 6. Categ. & 5. Metaph. c. 10. Illa autem uerba, *in eodem genere*, duplicem admittunt interpretationem: Primò enim accipere poſſumus vocabulum *generis* logicè, pro eo cui ſubiiciuntur ſpecies, ut ſenſus ſit quælibet contraria comprehendi ſub eodem genere, vel proximo, vel

ſaltem remoto: & ita diſtinguuntur contraria à privantibus & contradicentibus; nam habitus eſt ens, at privatio eſt non ens, adeoque ſub nullo genere comprehenditur directè & per ſe. Secundò poſſumus accipere nomen *generis* Phyſicè pro materia vel ſubiecto, ut ſenſus ſit, contraria verſari circa idem genus ſubiectum: Exempli gratia, calor & frigus ſunt in corpore, non autem alterum in ſubſtantiis incorporeis; & morbus atque ſanitas ſunt in vivente, non autem morbus in vivente, & ſanitas in lapide aut ligno. Poſteriorem hanc interpretationem ſequendo ſubintelligere oportet loco generis, *terminos poſitivos*, ut tota definitio hæc ſit, Cõtraria ſunt duo termini poſitivi qui circa idem ſubiectum verſantur maximèque à ſe invicem diſtant. Sæpè tamen Ariſtoteles contrariorum nomen latè ſumit pro quibuſlibet oppoſitis, ut cum dicit motum & quietem, & formam atque formæ privationem, eſſe contraria. *Suntque vel mediata, &c.*) Hanc diviſionem tradit Ariſt. c. 10. Categ. Intelligi autem debet de medio participationis: quædam enim contraria habent medium participationis vel communicationis, ut rubrum, vel cæruleum, eſt medium inter album & nigrum: alia non admittunt medium participationis, ut morbus & ſanitas, par & impar: omnia tamen contraria patiuntur medium negationis, ut ſupra diximus. *Subiecto capaci.*) Non fruſtra additum eſt epitheton, *capaci:* quippe contrariorum immediatorum neutrum neceſſe eſt ineſſe cuilibet ſubiecto; Exempli gratia, nec ſanitas nec morbus ineſt lapidi, quoniam lapis non eſt ſubiectum ca-

pax morbi aut ſanitatis.

7. *Privantia ſunt habitus & privatio oppoſita. Habitus iam ſumitur pro quolibet termino poſitivo, id eſt, qui ponit aliquid in re. Privatio eſt abſentia habitus è ſubiecto cui ineſſe debet, quando ineſſe debet.*

Varias habitus ſignificationes repete ex prima ſpecie qualitatis. Quot modis dicatur privatio vide apud Ariſt. 5, Metaph. c. 22 & 9. Metaph. c. 1. In præſentia ſat habemus monere, privationem dupliciter ſumi: Primò, pro abſentia formæ cum potentia ad eandem, ut in ſemine dicitur privatio animæ, quia anima non eſt in ſemine, ſed ei ineſſe poteſt, & in aqua frigida dicitur eſſe privatio caloris, quia calor ei non ineſt, ſed ineſſe poteſt; & hanc privationem vulgò vocant Phyſicam. Secundò, pro abſentia formę vel habitus è ſubiecto capaci poſtquam advenit tempus à natura pręſcriptum ut inſit, & hoc ſenſu à nobis iam definitur; vulgò autem appellatur privatio logica: Exempli gratia, cæcitas eſt abſentia viſus ex oculis poſtquã advenit tempus quo illis ineſſe debet, adeoque catulus naſcens non eſt propriè loquendo cæcus, quoniam nondum advenit tempus à naturâ præſcriptum ut videat. Si habitus privationi oppoſitus eſt potentia quædam naturalis, certè amiſſus nunquam recuperatur, ſive à privatione ad talem

habitum non datur regreſſus; ut à cæcitate ad viſum non datur reditus naturaliter, quoniam viſus eſt potentia quædam naturalis. Si verò habitus privationi oppoſitus non eſt potentia naturalis, ſed diſpoſitio acquiſita, vel actus, nihil vetat eum amiſſum recuperari poſſe; Exempli gratia, ſomnus vigiliæ, nuditas veſtitus, paupertas divitiarum, tenebrę luminis privationes ſunt; ſed quia vigilare, veſtitum eſſe, divitem eſſe, & illuminatum eſſe, non ſunt potentiæ naturales, à ſomno ad vigiliam, à nuditate ad veſtitum, à paupertate ad divitias in homine, & à tenebris ad lumen in aëre poteſt dari regreſſus.

CAPVT XIIII.

De priori, poſteriori, & ſimul.

1. *Fuerunt duæ terminorum ſimplicium comparationes; una in convenientia, altera in oppoſitione: reſtat tertia quæ eſt in ordine ſecundum quem dicuntur Prius, Poſterius, & Simul. Prius & poſterius quinque modis dicuntur: Tempore, exiſtendi conſecutione, diſpoſitione, dignitate, & cauſalitate.*

T*Empore.*) Vt bellum Troianum prius fuit adventu Æneæ in Italiam, & bellum Punicum aliud primum, aliud ſecundum, aliud tertium dicitur. *Exiſtendi conſecutione.*) Prius ſecundum exiſtendi cõſecutionem eſt quod poteſt eſſe ſine aliis, ſed alia non ſine eo; ſive, quo ſublato alia tolli, ſed eo poſito poni non neceſſe eſt: ut unitas binario, & binarius ternario prior eſt. Poteſt enim eſſe unitas, ſine binario, & binarius ſine ternario: Sed binarius ſine unitate, vel ternarius ſine binario eſſe non poteſt. Sic genus ſpecie, & ſpecies individuò, omnóque univerſalia ſingularibus, & univerſaliora minus univerſalibus priora ſunt: Exempli gratia, animal prius eſt homine, quia non ſi animal eſt idcirco hominem eſſe neceſſe eſt; quamvis enim non eſſet homo ullus in rerum natura, tamen beſtiis exiſtentibus exiſterent animalia: itidem homo, hoc aut illo homine prior eſt, quia ſi hic homo eſt, hominem eſſe neceſſe eſt, ſed non ſi homo eſt, hunc hominem eſſe neceſſe eſt. *Diſpoſitione.*) Sic in oratione exordium eſt prius narratione, & narratio cauſæ contentione, & contentio epilogo: & in omni diſciplinâ prius eſt quod ante cætera diſcendum eſt, adeoque in omni opere id prius eſt à quo incipiendum. & in via prius eſt ad quod prius pervenitur, & in ædibus partes priores ſunt per quas intrandum eſt. *Dignitate*) Sic principes privatis, Senatores plebe, patres liberis, domini ſervis, aurum ferro, & homo cæteris animalibus prior eſt. *Cauſalitate*) ita Sol luce, corporis denſi illuſtratio à ſole prior eſt umbrâ quæ inde funditur, & veritas rei prior eſt veritate oratio-

nis: quamvis enim ſol & lux, corporis denſi illuſtratio à ſole & umbræ diffuſio, denique veritas rei & veritas orationis reciprocentur ſecundum exiſtendi conſecutionem, mutuóque ſe ponant & tollant; tamen Sol lucis ſuæ, corpus à Sole illuſtratum umbræ, & veritas in re veritatis in oratione cauſa eſt. Hos quinque Prioris modos ſolent interpretes hoc diſticho concludere,

Tempore, naturâ, prius ordine, dic et honore
Cauſam cauſato dicimus eſſe prius.

Sed cavendum eſt ne imperiti adoleſcẽtes inde anſam aripiant exiſtimandi quicquid eſt prius naturâ prius eſſe ſecundùm exiſtendi conſecutionem, qui ſecundus eſt *Prioris* modus: nam & cauſa effecto naturâ prior eſt omninoq; id à quo alia naturaliter dependent, dependentibus prius eſt naturâ. Dividitur etiam naturâ prius in *prius ordine naturæ generantis*, & *prius ordine naturæ intendentis* vel propter finem operantis. Ordine naturæ generantis prius eſſe dicitur, quod eſt ſimplicius & ex quo alia componuntur: Sic partes toto, & familię civitate vel regno priores ſunt. Ordine naturæ intẽdentis illud prius eſt quod perfectius eſt & propter quod alia fiunt: ſic totum eſt prius partibus, & civitas vel regnum prius familiis, omninóque finis prior eſt mediis: finis, inquam, ſive ad quem res conſilii expertes ſolo naturæ impetu feruntur, & propter quem opera ſua moliuntur; ſive quem ſibi proponit homo mente & conſilio agens. Dubitabit fortaſſe quiſpiam an hæc modorum prioris enumeratio comprehendat *Prius cognitione*. Cognitio alia eſt confuſa & accommo-

data ad ſenſum, alia verò diſtincta & perfecta, qua intellectus naturam imitatur, & cognoſcit res eo ordine quo à natura conſtitutæ ſunt. Dubium ergo facile ſolvitur: nam quod prius eſt in ordine confuſæ cognitionis reducitur ad tertium modū prioris, nempe ad *Prius diſpoſitione*: at verò quod in ordine perfectæ cognitionis prius eſt illud ſecundum naturam prius eſt, adeoque reducitur ad ſecundum & quintum modum *Prioris*. De modis prioris & poſterioris vide Ariſt. c. 12. Categ. & 5. Metaph c. 11.

Theologi & Philoſophi Chriſtiani adiiciunt alium quendam prioris modum Ariſtoteli incognitum, quo in diſtinctione perſonarum Deitatis Deus Pater prima perſona, Filius ſecunda, & Spiritus ſanctus tertia appellatur. Hunc modum vocant *Prius origine*.

2. *Vnicuique prioris & poſterioris modo reſpondet aliquis modus τῶν ἅμα, id eſt, eorum quæ ſunt ſimul. Verùm duobus præcipuè modis aliqua dicuntur ſimul eſſe: Tempore, & naturâ.*

Simul tempore propriè & perfectè ſunt quorum unum non incipit ante alterum: imperfectè & minùs propriè ſimul tempore dicuntur, quorum unum incipit prius-quàm alterum deſinit, ut σύγχρονοι ſive contemporanei dicuntur qui eodem tempore vixerunt etſi alter altero ſenior extiterit.

Simul

Simul naturâ alia ſimpliciter dicuntur, alia ſecundum quid ſive reſpectu alicuius tertii. Simpliciter & abſolutè ſimul naturâ ſunt quibus adſunt hæ duæ conditiones: reciprocari ſecundum exiſtendi conſecutionem, & alterum non eſſe cauſam alterius: Sic relatum & correlatum ſunt ſimul naturâ, & duo effectus ab eadem cauſa proxima & reciproca pendentes. Simul naturâ ſecundum quid ſive reſpectu alicuius tertii ſunt ſpecies oppoſitæ ſub eodem genere proximo ſynonymo, quia ſimul ſunt in natura & communione generis: ut homo & beſtia dicuntur ſimul natura, non ſimpliciter & in ſe, verùm reſpectu animalis, quia animal de illis æqualiter prædicatur, non autem per prius & poſterius; non enim prius deſcendit animal in hominem quàm in beſtiam, ſed homo & beſtia ſimul reſpiciuntur in diviſione animalis.

CAPVT. XV.

De Nomine & Verbo.

Notiones primas in ſua genera vel Categorias digeſſimus, & affectiones ex mutua earum comparatione ortas explicavimus: ſuccedunt explicãdæ affectiones vocabulorum ſive interpreta-

tionis. I. *Interpretatio eſt vox dearticulata ſignificans ſenſa animi ex inſtituto.*

NOn quicunq; vocabula conſiderat grammaticum agere putandus eſt. In Grammatica enim explicantur voces quatenus ex certis litteris & ſyllabis conſtant: in Logica verò quatenus ſignificant. *Vox dearticulata*) vox alia eſt ἀδιάπτωτος καὶ ἀδιάρθρωτος καὶ ἄναρθρος, id eſt, inarticulata: alia ἔναρθρος, id eſt, dearticulata, ut dividit Iulius Pollux libro 2. c. 4. Vox inarticulata eſt quæ litteris & ſyllabis non conſtat, ſive quæ ſcribi non poteſt, ut ſunt riſus & fletus. Dearticulata eſt quæ ſcribi poteſt, & in ſyllabas atque litteras tanquam in articulos & membra ſecari. Quare voces inarticulatæ vocantur illiteratæ, dearticulatæ verò litteratæ, Ariſtoteli ἀγραμμάτοι & ἐγγραμμάτοι φωναί. *Significans ſenſa animi*) Interpretatio quatenus eſt interpretatio ſignificat ſenſa animi, ac proinde vox dearticulata eſt interpretationis materia, ſignificandi autem poteſtas eſt eius forma. Riſus, & fletus, non tam ſignificant cogitationes vel ſenſa animi humani, quàm affectus, cuiuſmodi ſunt lætitia, & dolor, & ira: at ſermo & voces dearticulatæ ſignificant cogitationes & conceptus *Ex inſtituto*) κατὰ συνθήκην. Homo naturaliter vocem edit ut alia multa animalia: & vocem edit dearticulatam naturâ monſtrante, & ſine præceptore: ſed quòd vox dearticulata alia nihil ſignificet, ut *Blictri*, alia aliquid, ut apud latinos *canis* quæ nihil ſignificat apud Gallos

aut Britannos, aut quòd *homo* noſtram potius naturam ſignificet, quàm *aſinus*, id non à natura vocis, ſed ab inſtituto provenire putandum eſt.

2. *Interpretatio alia eſt ſimplex, alia compoſita. Interpretatio ſimplex eſt quæ non conſtat ex interpretationibus: ſive, cuius partes nihil ſignificant quatenus ſunt eius partes. Et de hac ſola iam nobis dicendum eſt, de interpretatione autem compoſita dicemus libro ſequente.*

Vt thema aliud eſt ſimplex, aliud verò complexum; ita quoque interpretatio, Ariſt. c. 1. de Inpret. *Interpretatio ſimplex etc.*) Exempli gratia, *homo* eſt interpretatio ſimplex, quia eius partes nihil ſignificant: at *homo eſt mortalis*, eſt interpretatio cõpoſita, quia eius partes ſignificandi vim habent: *Quatenus ſunt eius partes.*) Dictio hæc *dominus* eſt interpretatio ſimplex, quia eius partes nempe *do* & *minus*, licet in hac oratione *do minus quàm accipio* aliquid ſignificent, tamen in hac oratione *dominus eſt qui imperandi ius habet*, ſeorſum accepta nihil ſignificant; qui enim audit vocem hanc *dominus* unum format conceptum toti dictioni indiviſibiliter reſpondentem, non autem duos quorum prior primæ ſyllabæ reſpondeat, & poſterior ſecundæ atque tertiæ.

3. *Interpretatio ſimplex dividitur in nomen & verbum. Nomen eſt interpretatio ſimplex non adſignificans tempus, quæ adiuncto Eſt, aut, Non eſt, orationem conſtituit verum aut falſum ſignificantem. Verbum eſt interpretatio ſimplex quæ tempus adſignificat, & nomini adiecta orationem conſtituit qua verum aut falſum ſignificatur.*

Voces aliæ ſunt Categorematicæ, aliæ ſyncategorematicæ. Categorematicæ dicuntur quæ in propoſitionibus ſubiiciuntur & prædicantur, ut *homo, arbor, ambulat, viuit*. Syncategorematicæ ſunt quę non ſubiiciuntur & prædicantur per ſe, verùm ſubiectis & attributis adiunctæ uſum aliquem in ſignificando habent, ut ſunt coniunctiones grammaticæ, & præpoſitiones, & adverbia. In Logica nullæ cenſentur interpretationes ſimplices præter categorematicas, adeoque perfecta eſt diviſio interpretationis ſimplicis Logicæ in nomen & verbum, cum nomina ſolùm & verba ſint ſubiecta & attributa in propoſitione vel oratione verum aut falſum ſignificante, ut nominis & verbi definitiones particulatim conſiderando patebit. *Non adſignificans tempus.*) Aliud eſt *ſignificare tempus*, aliud verò eſt *tempus adſignificare*: quippe adſignificare tempus eſt præter propriam & principalem ſignificationem differentiam aliquam temporis deno-

tare, nempe præſens, præteritum, vel futurum. Exempli gratia, *ambulat* & *ambulatio* ſignificatione non differunt, ſed adſignificatione, *ambulatio* enim ſignificant actionem nudè, ſed *ambulat* præſentis temporis connotationem addit, ideoq; *ambulatio* nomen eſt, *ambulat* autem verbum eſt. Nihil ergo vetat nomina ſignificare tempus, dum temporis differentiam non adſignificent, nec neceſſe eſt verba tempus ſignificare, dum tempus adſignificent: Exempli gratia, *annus* ſignificat tempus, ſed non adſignificat temporis ullam differentiam, ideoque eſt nomen: *ambulat* tempus non ſignificat, ſed temporis differentiam adſignificat, ideoque non eſt nomen ſed verbum. Nonnulli dicunt inter nomen & verbum hoc etiam intereſſe, quòd nomen rem ſignificat, verbum autem actionem: hoc plerumque verum eſt, ſed non ſemper: nam *eſt* & *exiſtit* ſunt verba, nullam tamen actionem ſignificant, nec paſſionem. *Quæ adiuncto Eſt, aut, non Eſt.)* Caſus nominum ſic diſtinguuntur à perfectis nominibus: Exempli gratia, *hominis, homini,* & *hominem* non ſunt nomina, ſed caſus nominis; quia hæc oratio *hominis eſt*, vel *homini eſt*, vel *hominem eſt*, ſententiam veram aut falſam non ſignificat: at *homo* eſt propriè & perfectè nomen, quia hæc oratio *homo eſt* veri ſignificationem continet. *Quæ tempus adſignificat)* Nominis & verbi duo ſunt diſcrimina, quorum hoc primum eſt: Verbum adſignificat tempus; ſive ſignificationi ſuæ adiunctam habet aliquam temporis differentiam; Nomen rem nudè ſignificat, ſive, abſque adiuncto tempore. *Nomini adiecta orationem con-*

Digitized by Google

ſtituit, &c.) Hoc ſecundum eſt verbi & nominis diſcrimen: nomen nomini adiectum non facit ſententiam veram aut falſam; verbum nomini adiectum facit ſententiam veram aut falſam: Exempli gratia, *homo* & *curſus* ſunt nomina, hæc autem oratio, *homo curſus*, imperfecta eſt & mutila, tantum abeſt ut verum aut falſum ſignificet: Sed *currit* eſt verbum, & oratio *homo currit* eſt ſententia perfecta ſignificans verum aut falſum. Hac conditione reiiciuntur & verba non indicativi modi: nullum enim verbum perfectum cenſetur à logico niſi quod nomini adiunctum complet ſententiam veram aut falſam; atqui verba non indicativi modi adiecta nominibus non conſtituunt ſententiam veram aut falſam: Exempli gratia, *currit* eſt verbum logicum, quia oratio iſta *homo currit* ſignificat verum aut falſum: Sed *curreret*, vel, *cucurriſſet*, non eſt verbum logicum, quia hæc oratio *homo curreret*, vel, *homo cucurriſſet*, nec vera eſt nec falſa. Ex dictis liquet officium verbi in enunciatione eſſe attribui, nominis autem eſſe ſubiici, adeoque verbum grammaticum non eſſe verbum, ſed nomen logicum, ſi in propoſitione ſubiiciatur. Illud porrò manifeſtum eſt participia, etſi nec nomina ſint nec verba, tamen in propoſitione fungi officio nominum, non autem verborum, ac proinde ad nomina potiùs quàm ad verba revocari debere. Non ſunt nomina, quia adſignificant tempus: non ſunt verba, quia nominibus adiuncta non faciunt orationem veram aut falſam: extra propoſitionem igitur verbis ſimiliora ſunt quàm nominibus; in propoſitione nominum vice funguntur,

non autem verborum: ac proinde, cum Logicus nomina & verba cêſeat potiſſimùm ex uſu & munere quo funguntur in oratione verum aut falſum ſignificante, ad nomina potiùs quàm ad verba revocantur. De nomine & verbo vide Ariſt. c.2. & 3. de Interprotatione, ubi & verbum præſentis temporis appellat ſimpliciter & abſolutè verbum, verba autem præteriti aut futuri temporis appellat caſus verborum, quia omnis propoſitio ex verbo præteriti aut futuri temporis verificatur beneficio verbi præſentis temporis: Exempli gratia, hæc propoſitio, *Socrates fuit iuſtus*, ideo vera eſt quia aliquando poterat quiſpiam dicere, *Socrates eſt iuſtus*; cui temporis præſentis prærogativæ fidem facit Metaphyſicum axioma, *Quicquid eſt, quando eſt, neceſſarium eſt.*

CAPVT XVI.

De nominibus & verbis ſinitis & infinitis: deque homonymis & ſynonymis, & ſuppoſitionibus.

1. *Nominis & verbi definitionibus commodè ſubiici poteſt explicatio vitiorum & virtutum quæ illis accidunt. Vocabulorum duo ſunt vitia, Infinitum &*

Homonymum: virtutes oppoſitæ ſunt, Finitum, & Synonymum. Finitum eſt quod definitam & certam habet ſignificationis amplitudinem. Infinitum eſt quod ſignificationis infinitate, quam generat nota negandi finito præpoſita, ludit audientem.

EXempli gratia, *homo* eſt nomen finitum, quia finitam, certamque habet ſignificationem. *non homo* eſt nomen infinitum, quia dicitur de quolibet ente vel non ente præter hominem, equus enim & lapis, & chimera, & centaurus ſunt *non homo*. Similiter *currit* eſt verbum finitum; *non currit* eſt verbum infinitum. Infinitatem eſſe vitium vocabuli apertè docet Ariſtoteles cum nomen infinitum appellat *non nomen*, & verbum infinitum *non verbum*, c.2.& 3. de Interpret.

2. *Homonymum eſt quod de multis non eâdem ratione dicitur. Eſtque aliud à caſu ſive remotum, aliud à conſilio ſive propinquum. Homonymum propinquum vel eſt propinquum ſimilitudine ſimplici, vel analogiâ, vel dependentiâ ab uno principali. Synonymum*

eſt quod de multis eadem prorſus ratio- tione dicitur.

Eadem ratione.) id eſt eodem conceptu, nam conceptus eſt ratio formalis in mente: vel, eadem definitione; nam definitio eſt λόγοι τῆς οὐσίας ſive *ratio eſſentiæ in mente*, vel *oratio rationem eſſentiæ quæ in mente eſt ſignificans.* Exempli gratia, canis eſt homonymum, quia dicitur de animali latrante, & de ſydere quodam; at non ſecundùm eandem rationem vel conceptum; nam dictioni canis non reſpondet in animo conceptus unus duobus illis ſignificatis communis. Significata homonymi homonyma quoque appellantur, eorumque definitio hæc ab Ariſtotele traditur c. 1. Categ. *Homonyma ſunt quorum nomen eſt commune, ratio autem eſſentiæ ſecundùm illud nomen eſt diverſa.* Homonyma latini appellant æquivoca: & à Scholaſticis vocabula homonyma dicuntur *æquivocantia*; eorum autem ſignificata, *æquivocata. Eſtque aliud à caſu, &c.)* Hæc diviſio deſumpta eſt ex 7. Phyſic. c. 4. Nonnunquam tamen Ariſtoteles quæ nos vocamus homonyma dependentiæ eximit è numero homonymorum, aiens τῶν πολλαχῶς λεγομένων τὰ μὲν ὁμωνύμως λέγεσθαι, τὰ δὲ πρὸς ἓν καὶ μίαν τινὰ φύσιν καὶ θάτερα ἀπὸ τῶν ἑτέρων καὶ τῶν προτέρων, id eſt, *eorum quæ multipliciter dicuntur quædam æquivocè dici, alia verò cum reſpectu ad unum & unam quandam naturam, & altera ab alteris atque prioribus.* ſic enim loquitur 1. de ortu & interitu c. 6. & 4. Metaph. c. 2. Nos in præſentia homonyma vocamus omnia πολλαχῶς λε-

γόμενα, *ſive multipliciter dicta*, ut nullum ſit medium inter homonymum & ſynonymum. Homonymum à caſu ſive remotum eſt cuius ſignificata ita diſtant ut occaſionem non præbeant quæ ſapienté movere poſſit ad nominis communionem inſtituendam: ut nomen *Gallus* de homine Gallo & de gallo gallinaceo dicitur, hæc autem nominis communio nullum videtur in rerum natura fundamentum habere: ſic *ius* ſorbile & *ius* quod iniuriæ opponitur communione nominis fruuntur, at nulla in rerum ſignificatarum naturis occaſio apparet quę ſapientem impellere potuiſſet ad nomen commune imponendum. Rebus igitur tam diſtantibus idem nomen fortuitò & caſu obtigiſſe videtur. In hoc genere cenſentur etiam nomina quæ homines liberis ſuis indunt in memoriam alterius cuiuſpiam qui idem nomen tulit, vel ob ſpem ſimilitudinis futuræ, aut deſiderium, aliumve animi affectum. ut ſi rex aliquis filio indat nomen *Cæſari* augurans aut vovens eum Cæſari dictatori ſimilem fore: tale enim conſilium non eſt fundatum in re, ſed in ſpe: ſimiliter ſi quis filio primigenito indat nomē proavi, ſecūdo autē nomen avi, vel alterius cuiuſpiam: nā nulla ratio eſt in natura rerum nominandarū quę huic cōſilio faveat. Homonymū à conſilio, ſive propinquum, eſt quod diverſa quidem ſignificata habet, ſed propinqua & affinia ita ut eorum naturas conſideranti appareat cur eodé nomine appellāda ſint: Exēpli gratia, *homo* dicitur de homine vivo & de imagine hominis in tabella; & quamvis homo vivus & imago hominis non eâdem ratione dicuntur eodem nomine, ta-

men in promptu eſt ratio cur idem nomen ferant, relatio enim ſimilitudinis inter hominem vivum & picturam anſam præbuit utrumque eodem nomine appellandi. *Similitudine ſimplici, &c.*) Tale eſt exemplum iam allatum. Similitudo enim ſimplex dicitur quæ eſt inter duos terminos: ut inter hominem & picturam. Analogia ſive proportio eſt ſimilitudo compoſita, vel ſimilitudo inter quatuor terminos quorum primus ſe habet ad ſecundum ut tertius ad quartum, vel primus ad tertium ut ſecundus ad quartum, &c. & ab Euclide definitur hoc modo, *proportio eſt rationum ſimilitudo.* Exempli gratia, ut ſe habent 2. ad 4 ita 6. ad 12. hi ergo numeri dicuntur proportionales. Homonymum itaque propinquum analogiâ eſt nomen quod de pluribus dicitur ἀναλόγως ſive ex proportione. ut *caro* eſt nomen analogum cum dicitur de carne animalium terreſtrium, & piſcium, & prunorum: quemadmodum enim ſe habet id quod in animalibus carnem vocamus ad animalia, ita ſe habet quod in prunis carnem vocamus ad pruna. Ita fons eſt nomen commune analogum cum dicitur de fonte aquæ & de corde: nam ut ſe habet fons ad flumen aut rivos, ita ſe habet cor ad ſpiritus vitales per totum corpus diffuſos. *Vel dependentia.*) Homonymum à dependentia eſt quod de pluribus dicitur ſed de uno præcipuè & per ſe, de cæteris non niſi quatenus ab illo dependent vel ad illud referuntur: ut *ſanum* dicitur de animali, de medicina, & de urina; ſed de animali primariò, quoniam ei ineſt ſanitas; de medicina autem & urina non niſi cum habitudine ad animal, qua-

Digitized by Google

tenus nimirum illa eſt ſanitatis effectrix, hæc autem ſanitatis indicium. Itidem ens dicitur de ſubſtantia & accidente, ſed de illa primariò, quia per ſe exiſtit; de hoc ſecundariò, & non niſi cum ratione dependentiæ ab illâ, quoniam accidens non exiſtit niſi per ſubſtantiam & in ſubſtantia. Vocatur etiam homonymum *ab uno*, vel *ad unum*, item homonymum *inæqualis attributionis*, & à Scholaſticis perperam appellatur analogum, ut multi iam pridem notarunt. *Synonymum eſt quod, &c)* Latini *univocum* appellãt, ut ſignificata homonymi dicuntur homonyma, ita ſignificata ſynonymi ſynonyma: quæ ſic ab Ariſt. c. 1. Categ. definiuntur, *Synonyma ſunt quorum nomen eſt commune & ratio eſſentiæ ſecundùm illud nomen eadem.* Vocabulum commune Scholaſtici vocant *univocans*, eiuſque ſignificata, *univocata.* Diximus, *eâdem prorſus ratione*, quia univocata in ratione formali ſecundùm nomen commune convenire debent ἰσοτίμως καὶ ὁμοτίμως, ſive æqualiter: Exempli gratia, ratio formalis quæ nomini *animal* reſpondet, non magis homini quam beſtiæ, nec magis beſtię quàm homini comperit. Cæterùm, non eſt hoc loco prętereundum, nomen univocum dupliciter accipi: primò pro omni eo quod non eſt æquivocum, quo ſenſu *album* eſt univocum reſpectu lactis & cygni & marmoris, quoniam eâdem prorſus ratione & formali ſignificatione hæc ſingula alba dicuntur, & hoc ſenſu in præſentia à nobis conſideratur ut & ſuprà monuimus. Secundò pro eo quod de pluribus eadem ratione dicitur eſſentialiter; ſive, quod ea ratione qua de pluribus dicitur

ſingulis eſſentiale eſt; & hoc ſenſu album, aliaque accidentia non dicuntur univocè de ſubiecto, quoniam ſubiecto eſſentialia non ſunt; ſed genus de ſpeciebus dicitur univocè, ut *color* de albedine & nigredine; vel *coloratum* de albo & nigro; vide Aphoriſ. 4. capitis 11.

3. *Synonymia non excludit diuerſas eiuſdem uocabuli acceptiones, quas ſcholaſtici ſuppoſitiones appellant. Suppoſitio alia eſt materialis, alia formalis. Suppoſitio materialis eſt qua vocabulum ſumitur per ſe, non autem pro eo cuius ſignum eſt. Formalis eſt qua vocabulum ſupponitur pro eo cuius ſignum eſt ex inſtituto. Eſtque alia ſimplex, alia perſonalis. Suppoſitio ſimplex eſt, qua nomen univerſale ſumitur pro immediato ſuo ſignificato, cum præciſione ab inferioribus. Perſonalis eſt, quâ nomen univerſale ſumitur pro rebus ipſis quas mediante uno conceptu ſignificat.*

Multa Scholaſtici de variis vocabulorum acceptionibus, vel ſuppoſitionibus, argutantur ϗ λεπτολογοῦσι. Nos quæ utiliſſima videntur delibavi-

mus. Quoniam vocabula in diſputatione pro rebus quas ex inſtituto ſignificant accipiuntur, & in earum locum ſupponuntur, atque ſubſtituuntur; idcirco diverſę vocabulorum acceptiones non ineptè ſuppoſitiones appellantur. *Suppoſitio alia eſt, etc.*] Vt qui legatione fungitur negotia quædam adminiſtrare poteſt ſuo nomine & tanquam privatus, alia principis nomine cuius legatus eſt; Ita vocabulum quodlibet ſignificandi vim habens in diſputatione ſumi poteſt vel pro ſe ipſo, vel pro eo cuius ſignum eſt ex inſtituto. Exempli gratia, cum dico, animal eſt nomen triſſyllabum neutrius generis, homo eſt nomen diſſyllabum communis generis, vocabula *animal* & *homo* non ſumuntur pro rebus quas ex inſtituto ſignificant, ſed per ſe & pro ſe, haud aliter quàm ſi nihil prorſus ſignificarent: At cum dico, homo eſt animal, eadem vocabula ſumuntur pro rebus quas ex inſtituto ſignificant. Prior ſuppoſitio dicitur materialis, & poſterior formalis, quia literæ & ſyllabæ ſunt materia interpretationis, ſive vocabulorum animi ſenſa ſignificantium; ſignificatio verò eſt ipſa eius forma. *Suppoſitio ſimplex eſt, &c.*) Exempli gratia, cum dico, animal eſt genus hominis, nomen, *animal*, ſumo non pro ſe ipſo, nec pro rebus quas mediante uno conceptu ſignificat, ut ſunt homo, bos, leo, &c. ſed pro conceptu univerſali qui proximè & immediatè ſignificatur nomine *animal* cum præciſione à rebus quarum ille conceptus commune repræſentamen eſt. Itaque ut conſtet quando vocabulum univerſale ſupponatur ſimpliciter obſervanda eſt hæc regula: *Si quod prædi-*

catur de univerſali non poteſt prædicari de quolibet ſingularium ſub eo comprehenſorum ſuppoſitio eſt ſimplex. Exempli gratia, animal eſt genus; ſed homo, vel bos, vel hic homo, vel hic bos, non eſt genus; ac proinde cum dico, animal eſt genus, nomen *animal* ſimpliciter ſumitur. *Perſonalis eſt, &c.*) Exempli gratia, cum dico homo eſt animal, vel animal eſt corpus, nomen *animal* ſumitur perſonaliter, ſive pro rebus quæ communi conceptu animalis repræſentantur: omninóque cum ſuperius de inferiori prædico, attributum ſumitur perſonaliter, non autem ſimpliciter. Vſus huius doctrinæ patebit ubi ad ſophiſticos elenchos ventum erit.

CAPVT XVII.

De Conjugatis & caſibus, nominibus primitivis & paronymis.

Vocabulorum inter ſe comparatorum affectio eſt Συστοιχία *ſive coniugatio. Coniugata ſunt quæ naturali ſignificatorum vinculo iuncta vocis quoque propinquitatem habent, ita ut terminatione inter ſe differant. Dividuntur autem in primitiva, & derivata. Pri-*

Digitized by Google

mitivum eſt à quo cætera, & ſignificatione, & voce, defluxerunt. Derivata ſunt ut paronyma & caſus. Paronymum eſt nomen quod ab aliquo ita derivatum eſt ut terminationem ab eo diverſam habeat. Caſus ſunt adverbia à nominibus nata.

EXempli gratia, *iuſtitia*, *iuſtus*, *iuſtum*, *iuſtè*, ſunt coniugata, & mutua eorum affectio vocatur Συςοιχία ſive coniugatio: nam & ſignificationibus iuncta ſunt & formatione vocum, & terminationes diverſas habent. Vbi notare convenit aliud eſſe grammatici, aliud verò Logici iudicium de vocabulorum Συςοιχία. Grammaticus tantum ad formationem vocis, logicus partim ad formationem vocis, partim ad ſignificatorum propinquitatem reſpicit; imò magis ad hanc, quàm ad illam; quoniam voces non conſiderat niſi tanquam ſigna. *Primitivum eſt, &c.) Iuſtitia* & *fortitudo* ſunt primitiva; *iuſtus*, & *iuſtè*, *fortis*, & *fortiter* ſunt derivata logicè, etſi *iuſtitia* & *fortitudo* ſint derivata à *iuſto* & *forti* grammaticè. Primitivum enim logicè eſt quod ſimpliciſſimam habet ſignificationẽ: derivatũ quod ſignificationẽ habet minùs ſimplicem, vel quod ſignificationem habet ortam & propagatam. Abſtracta igitur, ut *iuſtitia* & *fortitudo*, ſunt primitiva, quia ſignificant qualitates nudè & abſolutè atque ſine connotatione ſubiecti: at con-

at concreta, ut *juſtus* & *fortis*, ſunt derivata & paronyma, quia connotant ſubiectum, adeoque ſignificant quicquid ſignificatur vocibus *juſtitia* & *fortitudo*, & aliquid præterea. *Paronymum eſt,&c.*) Ad conſtitutionem paronymi logici tribus opus eſt conditionibus. Primò, ſit nomen: & ſic diſtinguuntur paronyma à caſibus quę adverbia ſunt; ut *iuſtus* & *fortis* ſunt paronyma, *iuſte* autem & *fortiter* ſunt caſus. Secundò, primitivum & paronymum vocis formatione ita convenire debent ut terminatione differant: ac proinde adiectivum nomen *muſica* quod dicitur de muliere non eſt paronymum à ſubſtantivo *muſica*, id eſt, arte canendi vel inſtrumentis ſonoris utendi: nam ubi vocis eſt unitas & ſignificatorum proximorum diverſitas ibi non eſt paronymia, ſed homonymia; nec dici poteſt *æger* paronymum à *morbo*, aut *dormiens* à *ſomno*, cum in ſignificatione, ſed non in vocis formatione ſit propinquitas. Tertiò, paronymi ſignificatio orta eſſe debet à ſignificatione primitivi: unde fit ut nomen σπουδαῖος, id eſt, *probus* non cenſeatur paronymum à nomine σπουδὴ, id eſt, *ſtudium* vel *diligentia*; non enim ſignificatione, ſed voce ab eo ortum eſt: nec eſt *iuſtitia* paronymum à *iuſto*, ſed *iuſtus* à *iuſtitia*, cum iuſtitiæ ſignificatio prior ſit & ſimplicior ſignificatione iuſti. Primitiva & paronyma in accidentibus maximè ſecernuntur: primitiva enim accidentium eſſentiam abſolutè denotant, & de ſubiecto non prædicantur; paronyma ſubiectum connotant, deque eo prædicantur. Scholaſtici primitiva vocant *denominantia*, ut ſunt, albedo, calor, frigus, &c. Paronyma vocant

denominativa, ſunt album, calidum, frigidum, &c. Ipſa ſubiecta de quibus paronyma prædicantur, ut ſunt lac, ignis, aqua, &c, *Denominata appellant.* De paronymis vide Ariſt. c. 1 & c. 8. Categ. De omnibus coniugatis & caſibus vide eundem 2. Topic. c. 9 Cæterùm, non omnia paronyma ſive cōcreta ſunt nomina adiectiva apud grammaticos, ut fortè alicui videri poſſit: nam pater, filius, dominus, ſervus, aliaque huiuſmodi ſunt paronyma à relationibus, nempe paternitate, filiatione, dominio, & ſervitute, ut c. 8. aphoriſmo 4. notavimus.

Atque hæc ſunt quæ de vocabulorum affectionibus, & in univerſum de themate ſimplici dicenda habuimus.

Digitized by Google

INSTITVTIONIS LOGICÆ
LIBER SECVNDVS,

DE THEMATE COMPLEXO,

SIVE,

De enunciatione.

CAPVT I.

Quid ſit Enunciatio, & ex quibus unaquæque partibus conſtet.

1. *Thema complexum, ut in principio libri præcedentis docuimus, eſt Complexus notionum ſimplicium cui ineſt veritas aut falſitas: diciturq; promiſcuè propoſitio vel enunciatio, licet*

enunciatio propriè & accuratè loquendo non ſit thema complexum, ſed eius ſymbolum vocale vel interpretatio.

COmplexus notionum.) *Ariſt. c. 4. de Interpret.* Enunciationem definit *orationem veri aut falſi ſignificatricem.* Sed pro genere thematis complexi non eſt ponenda *oratio*, verùm *complexus notionum*, quia themati complexo accidit vocalis expreſſio vel enunciatio. poteſt enim thema mente concipi & tractari ita ut non detur ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου, id eſt, *fluxus per os emanans cum ſono. Cui ineſt veritas aut falſitas)* Veritas alia eſt rerum, qua unumquodque ens dicitur verum, quia ut ait Ariſt. 2. Metaphyſ. c. 1. ἕκαστον ὡς ἔχει τοῦ εἶναι οὕτω καὶ τῆς ἀληθείας, id eſt, *unumquodque tantum veritatis habet quantum exiſtentiæ*, ſive, *unumquodque quatenus eſt eatenus verum eſt*: alia eſt iudicii, ſecundùm quam dicimur ſentire & iudicare verè aut falsò, & hæc eſt veritas quæ themati complexo ineſt. Complexio notionum ſimplicium vel eſt perfecta ſententia, vel imperfecta. Perfecta eſt quæ pronunciata audientis animum non relinquit expectatione ſuſpenſum, ut *dives eſt qui ſua ſorte contentus eſt*, vel, *utinam eſſem dives.* Imperfecta quæ pronunciata audientis animum expectatione pendentem relinquit, ut *ſi eſſem dives*, vel, *quos ego*: nam hîc deſideratur aliquid ad perfectionem ſententiæ. Sententia perfecta alia eſt indicativa, qua eſſe aliquid aut non eſſe dicitur,

ut *omnis avarus eget*: alia imperativa, alia optativa, alia interrogativa, &c. Non enim neceſſe eſt omnes ſentētiæ perfectæ formulas ſigillatim enumerare. Indicativa expreſsè & directè vera eſt aut falſa: Cæteræ nonniſi implicitè & quatenus indicativam includunt in quam reſolui poſſint. Exempli gratia, hæc ſententia, *certum voto pete finem*, per ſe & formaliter nec vera eſt, nec falſa; poteſt tamen in hanc reſolui, *homo quiſque certum finem voto petere debet*, quæ per ſe & formaliter vera eſt. *Diciturque propoſitio.)* Propoſitio & enunciatio non differunt re, ſed ratione. Propoſitio enim dicitur reſpectu ſyllogiſmi: Enunciatio per ſe & extra ſyllogiſmum. Propoſitio enim Græcè dicitur πρότασις à verbo προτείνω, id eſt, *prætendo, obtendo, prætexo*, quia in ſyllogiſmo præmittitur & prætenditur concluſioni tanquam vallum quoddam & munimentum. Porrò enunciatio eſt vocalis expreſſio thematis complexi: propoſitio non magis dicitur reſpectu orationis exterioris, quàm rationis interioris: nam Enunciatio Græcè dicitur ἀπόφανσις, vel λόγος ἀποφαντικὸς, à verbo ἀποφαίνω, id eſt, *oſtendo, exhibeo, indico, profero.* A Varrone & Cicerone appellatur etiam pronunciatum, pronunciatio, effatum, profatum, & proloquium. A Græcis, maximè autem à Stoicis, dicitur ἀξίωμα, à verbo ἀξιῶ, id eſt, poſtulo. Ariſtoteli tamen & Mathematicis ἀξίωμα, non eſt quælibet enunciatio, ſed tantùm ea quæ omnium iudicio vera eſt, ut nomen deductum intelligatur à nomine ἄξιον, id eſt *dignum*, quia Axioma eſt pronunciatum ἀξιόπιστον, ſive, *dignum cui ab omnibus fides habeatur*, ideoque axiomata à pleriſ-

que appellantur *Dignitates*. vel a verbo ἀξιῶ, id eſt, *ſentio*, quia *omnes ita ſentiunt*. Sed de axiomate ſic accepto plura dicemus lib. 5.

2. *Enunciatio quælibet dividi poteſt vel in partes eſſentiales, vel in partes integrantes. Partes enunciationis cuiuſque eſſentiales materiæ & formæ vicem obtinentes ſunt copulata, ſive vinculo coniuncta, & copula ſive vinculum. Partes integrantes ſunt antecedens & conſequens.*

Partes enunciationis cuiuſque eſſentiales.) Quæ in Enũciatione copulantur ſunt quaſi corpus, copula autem ſive uinculum eſt quaſi anima enunciationis. Exempli gratia, materia huius enunciationis, *homo eſt animal*, ſunt duo nomina, *homo* & *animal* quæ copulantur & vinciuntur: forma & quaſi anima eiuſdem eſt quod coniungit & copulat, nempe vocula *Eſt*. Et in hac enunciatione, *ſi fortuna volet fies de rhetore conſul*, materia ſunt *fortuna volet*, & *fies de rhetore conſul*: Forma autem eſt vinculum uniens has partes, nempe particula *ſi*. *Partes integrantes, &c.*) Plerique omnes Interpretes has partes vocant ſubiectum & attributum: at propriè loquendo ſubiectum & attributum locũ habent in enunciatione ſimplici tantùm, qualis eſt hæc, *avarus eſt miſer*: in enunciatione autem com-

poſita qualis eſt hæc, *ſi omnis avarus eget, avarus eſt miſer*, ſubiecti & attributi appellationes minùs convenientes videntur. Cum ergo in genere & univerſaliter de enunciationis partibus integrantibus loquendum eſt, præſtat *antecedentis* & *conſequentis* appellationibus eas deſignare. Sunt qui attributum & ſubiectum exiſtiment eſſe ſolam enúciationis materiam & copulam ſive vinculum nec attributi, nec ſubiecti partem eſſe: Sed illis non aſſentior, quippe in enunciatione ſimplici vinculum ad attributum reducitur, ut infra oſtendemus.

CAPVT II.

De ſpeciebus enunciationis.

1. *Enunciatio dividi poteſt primò in ſpecies, ſecundò per accidentia. Enunciationis in ſpecies diviſio ita ſe habet. Enunciatio alia eſt ſimplex, alia compoſita. Enunciatio ſimplex eſt quæ in enunciationes reſolui non poteſt: eiuſque partes materiales verbi vi connectuntur. Compoſita eſt quæ in ſimplices enunciationes reſolui poteſt: eiuſq; par-*

tes coniunctione aliqua vel particulâ relativâ connectuntur.

EXempli gratia, hæc eſt enunciatio ſimplex, *avarus eget*, quia ex ea non poſſunt elici plures enunciationes: at hæc eſt enunciatio compoſita, *ſi avarus eget miſer eſt*, quia reſolui poteſt in has duas, *avarus eget*, & *avarus miſer eſt*. Cæterum, ſimplicitatem enunciationis logicus non metitur grammaticè, quaſi ea duntaxat verè ſimplex ſit quæ conſtat ex uno nomine & verbo grammatico, ut eſt hæc, *avarus eget*, aut ex duobus nominibus verbo grammatico *eſt* copulatis, ut *avarus eſt miſer*: nam in enũciatione ſimplici nihil vetat ſubiectum aut attributum ex pluribus vocabulis cõpoſitum eſſe, ut *creſcentem ſequitur cura pecuniam*, vel, *qui congeſtis undique ſaccis indormit inhians miſer eſt*. *Verbi vi connectuntur*.) Non dixi enunciationis partes materiales verbo connecti, ſed verbi vi; quippe vinculum ſive copula enunciationis non eſt verbum logicè, ut infra patebit. *Coniunctione aliqua, &c.*) Non omnis enunciati compoſiti partes coniunctione grammatica committuntur, verùm adverbia temporis vel quantitatis, aliæq; particulæ relativæ, vim habent ex pluribus enunciationibus unam componendi, ut *donec eris fœlix multos numerabis amicos*, nam hæc enunciatio compoſita eſt beneficio particulæ *donec*.

2. *Enunciatio ſimplex alia eſt pura, alia verò modalis. Enunciatio pura eſt qua*

aliquid de aliquo affirmatur aut negatur ſine deſignatione modi quo termini conveniunt aut pugnant. Modalis eſt qua aliquid de aliquo affirmatur aut negatur, adiecto modo quo termini conveniunt aut pugnant.

Exempli gratia, hæc eſt enunciatio pura, *homo eſt animal*, quia in ea affirmatur convenientia horum terminorum *homo* & *animal*, ſed non indicatur modus convenientiæ: at hęc eſt modalis, *neceſſe eſt hominem eſſe animal*, quia vocabulum *neceſſe* eſt determinatio modi quo *animal* convenit *homini*. Similiter hæc pura eſt enunciatio, *homo non eſt lapis*; hæc autem modalis, *impoſſibile eſt hominem eſſe lapidem*. Enunciatio pura ab Ariſtotele vocatur enunciatio τοῦ ὑπάρχειν, id eſt, *de ineſſe*.

3. *Enunciatio pura conſtat ex ſubiecto & attributo. Attributi partes duæ ſunt: nempe copula, & quod per eam ſubiecto committitur; quæ nonnunquam uno eodemque verbo pariter involuta ſunt, nonnunquam verò diſtincta apparent.*

Quando vinculum & quod ſubiecto devin-

ciendum eſt indiſtinctè & ſimul proponuntur, dicitur enunciatio *binaria*, ut *homo vivit*: quando autem diſcernuntur, enunciatio *trinaria* appellatur, ut *homo eſt mortalis*. In binaria attributum vel eſt verbum ὑπαρκτικὸν, id eſt, *ſubſtantivum*, ut *homo eſt*, ſive *homo exiſtit*: vel aliud quodvis verbum, ut *homo vivit, valet, ſpirat, &c.* In trinaria vinculum verbale *Eſt* appellatur *tertium adiacens*, in binaria autem *ſecundum adiacens*. In binaria omnibus verbi logici officiis fungitur, nempe ſignificat exiſtentiam, adſignificat tempus, & ſignificationem ſuam ſubiecto nomini devincit: in trinaria nihil ſignificat, ſed tãtùm ſignificationẽ alienam ſubiecto cõmittit & copulat; nam cum dico, *Chimera eſt poëtarũ figmentũ*, vocula *Eſt* nõ ſignificat quicquã, ſed tantũ copulat notionem figmenti poëtici cum Chimæra. Ergo *Eſt* tertium adiacens quatenus eſt tale amittit naturam vocis categorematicæ, & fit merum ſyncategorema, adeóque non eſt *verbum* logicum, etſi vim ζυνθετικὴν retineat quæ tertia pars eſt naturæ *verbi*. Copulam autem eſſe partem attributi liquet, primò ex eo quòd Ariſt. ait eam ζυγκατηγορεῖσθαι: Secundò quia cum ſit quaſi anima enunciationis in omni prorſus enunciatione eam eſſe oportet, ac proinde enunciatio binaria non minùs habet copulam quàm trinaria, atqui non eſt copula in binaria niſi ſit pars attributi; quid ergo vetat copulam in trinaria eſſe partem attributi? idem plus ſatis manifeſtum eſt ex reſolutione binariæ cuiuſlibet in trinariam ſecundùm proprietatem Græcæ linguæ, non enim aliud eſt attributum factâ reſolutione, quàm antè: Exempli gratia,

pro eo quod nos dicimus *Socrates ambulat*, Græci promiſcuè dicunt Σωκράτης περιπατεῖ, & περιπατῶν τυγχάνει. Denique & in converſionibus enunciationum idem apparet: iubemur enim quod erat attributum efficere ſubiectum: atqui oportet non tantùm id quod ſubiecto devinciebatur, ſed etiam vinculum ſubiicere ut legitima dicatur converſio: Exempli gratia, ſi convertenda eſſet hæc enunciatio, *Senex fuit puer*, dicere oporteret, *ergo qui fuit puer eſt ſenex.* Sed de converſionibus infrà præcipiemus.

4. *Enunciatio modalis conſtat ex Dicto & Modo: illud ſubiecto, hic attributo puræ enunciationis reſpondet. Dictum eſt oratio conſtans ex caſu nominis & verbo grammatico infinitivi modi. Modus quadruplex eſt: neceſſe eſt, impoſſibile eſt, poſſibile eſt, & contingit.*

Exempli gratia, in hac enunciatione, *hominem eſſe animal neceſſe eſt*; Dictum eſt, *hominem eſſe animal*: Modus, *eſt neceſſe. Illud ſubiecto, hic attributo.*) Modus non eſt attributum in enunciatione modali, & Dictum non eſt ſubiectum, ſed proportione reſpondent attributo & ſubiecto; quia ut ſe habet in enunciatione pura attributum ad ſubiectum, ita in modali Modus ad Dictum, ut patebit ex doctrina de æquipollentia & de contradi-

dictione enunciationum. *Dictum eſt oratio, &c.*) Enunciatio modalis duplici formâ proponi poteſt: vel enim modus proponitur adverbialiter, ut *homo neceſſariò eſt animal*: vel nominaliter, ut *hominem neceſſe eſt eſſe animal.* Prior formula eſſentialiter & ſpecie non differt ab enunciatione pura; conſtat enim ex ſubiecto & attributo, non aliter quàm ſi pura eſſet. Poſterior formula ſpeciem enunciationis mutat, & non habet ſubiectum & attributum propriè, ſed Dictum & Modum illis proportione reſpondentia. *Modus quadruplex eſt.*) In enunciatione tria poſſunt eſſe modorum genera: vel enim modus eſt determinatio ſubiecti, ut cum dico *homo iuſtus eſt beatus*, adiectivum *iuſtus* poteſt appellari modus & determinatio ſubiecti: vel eſt determinatio attributi quoad rem ſignificatam, aut tempus quod adſignificatur, ut *homo benè vivit*, vel *homo diu vivit*, quia adverbium *bene* determinat ſignificationem, & *diu* adſignificationem temporis quæ eſt in attributo: vel denique determinat cohæſionem ſubiecti & attributi, ut *neceſſe eſt hominem eſſe animal*, & de hoc ſolo genere modorum in præſentia loquimur. Nonnulli duos adiiciunt, nempe, *verum* & *falſum*, ut *hominem eſſe animal verum eſt*, vel *hominem eſſe lapidem falſum eſt.* Sed errant; nam verum & falſum non determinant cohæſionem vel pugnam terminorum: immò modi determinant veritatem & falſitatem. Cæterum enunciationes modales in lingua Latina rariùs quam in Græca uſurpantur.

5. *Enunciationis compoſitæ multæ ſunt*

ſpecies, ſed tres præcipuæ ad quas cæteræ reduci poſſunt: nempe, copulativa, conditionalis, & diſiunctiva; quas omnes hypotheticas ſcholaſtici vocant, ſed male. Enunciatio enim alia eſt categorica, alia verò hypothetica: Categorica eſt quæ affirmat vel negat abſolutè, ſive ipſa ſimplex ſit, ſive compoſita: hypothetica eſt quę affirmat vel negat ſub conditione.

Copulativa eſt cuius partes vinciuntur coniunctione copulativa *Et*; eſtque vel ex ſubiecto compoſito; ut *unà Eurusque Notusque ruunt*: vel ex attributo compoſito; ut *Cicero fuit ſapiens & eloquens*: vel ex utroque compoſito; ut *Cicero & Demoſthenes fuerunt ſapientes & eloquentes*. Conditionalis eſt cuius partes conditionali particula, quales ſunt *ſi*, & *niſi*, uniuntur; ut *ſi hodie pluit cras ſerenum erit*. Diſiunctiva eſt cuius partes diſiunctiua coniunctione committuntur, quales ſunt *aut*, & *vel*; ut *vel dies eſt vel nox eſt*. Quæ cum ita ſint ſatis liquet enunciationem copulativam eſſe categoricam non autem hypotheticam: cum enim affirmo Ciceronem & Demoſthenem fuiſſe eloquentes, affirmo ſimpliciter, abſolutè, & ſine hypotheſi aut conditione, quamvis enunciatio compoſita ſit, & reſolui poſſit in has duas, *Cicero fuit eloquens, De-*

verſalitatis. Particularis eſt quæ ſubiecto univerſali adiunctam habet notam incertę partis. Singularis eſt quę pro ſubiecto habet ſingulare proprio nomine, vel periphraſi expreſſum, vel pronomine demonſtrativo aliâve notâ ſingularitatis ſignatum.

DE Enunciationibus ſecundum Quantitatem vide Ariſt. c. 7. de Interpret. *Quantitatis indefinitæ.*) Hæ ſunt indefinitæ *homo eſt iuſtus*, *Animal eſt quadrupes*: nam ſubiecta *homo* & *animal* ſunt univerſalia, ſed quia deſideratur nota Quantitatis ambigere quiſpiam poteſt pro quantis inter diſſerendum à me, aut alio quovis proponantur; Nam ſi haberẽt notam univerſalitatis eſſent falſæ, ſi notam particularem, eſſent veræ. *Vniuerſalis eſt.*) Notæ vel ſigna univerſalitatis ſunt *omnis*, *nullus*, *quicumque*, *&c.* ac proinde Enunciationes univerſales ſunt ut *omnis homo eſt animal*, *nullus homo eſt quadrupes.* Syncategorema *omnis* quandoque ſumitur diſtributivè, ut in exemplis iam allatis: quãdoque collectivè, ut cum dico *omnes menſes anni ſunt duodecim*, vel *omnes digiti ſunt numero decem*, vel *omnes partes ſunt idem cum toto.* Syncategorema *omnis* diſtributivè acceptum quandoque denotat ſingula generum, quandoque autem genera ſingulorum. Singula generum, ut cum dico, *omne animal eſt mortale*, nam ſingula animalia tam rationa-

lia quàm irrationalia ſunt mortalia. Genera ſingulorum, ut cum dico, *omnes homines Deum eſſe fatentur*, nam omnes nationes & gentes hominum Deum aliquem eſſe fatentur, etſi fortè in aliqua natione vel gente reperiri poſſit quiſpiā qui Deum eſſe non credat. *Particularis eſt.*) Symbola partis incertæ ſunt *aliquis, quidam, nonnullus*: particulares ergo enunciationes ſunt ut *aliquis homo eſt iuſtus, aliquis homo eſt iniuſtus.* Cavendum diligenter ne enunciatio particularis confundatur cum ſingulari, quę partis certæ eſt: ſubiectum enim enunciationis particularis eſt individuum vagum. *Singularis eſt.*) Exempli gratia, hæ ſingulares ſunt, *Ariſtides fuit iuſtus*; *hic homo*, aut, *ille homo eſt iuſtus*, omninoque enunciatio eſt ſingularis cuius ſubiectum eſt ſingulare, certum, & determinatū. Non eſt hîc ſilentio prætereundum, in enunciatione aliam eſſe Quantitatem numeri, aliam temporis. Signa illius ſunt ſyncategoremata hæc, *omnis, nullus, aliquis, nonnullus, quidam, hic, ille, &c.* Signa huius ſunt, *ſemper, nunquam, aliquando non nunquam. &c.* Quantitas diſcreta ſive multitudinis pertinet ad ſubiectum enunciationis, non autem ad attributum; verè enim dico, *omnis homo eſt animal*, ſed non poſſum verè dicere *homo eſt omne animal*, ut notat Ariſt. c. 7. de Interpret. Quantitas temporis pertinet ad attributum, quia adſignificatio temporis eſt vis verbi quod attribuitur. Sed quia in enunciationibus ſigna temporis quantitatem definientia rarò uſurpantur idcirco in diviſione enunciationis ſecundùm quantitatem Logici ſolent habere rationem quantitatis diſcretæ duntaxat

taxat, quæ ſubiecti propria eſt. Exempli gratia, non ſolemus dicere *omnis homo ſemper eſt animal*, nec *omne vivens aliquando creſcit*, ſed contenti ſumus dicere, *omnis homo eſt animal*, *omne vivens creſcit*, *&c.*

2. *Qualitates Enunciationis ſunt affirmatio & negatio, veritas & falſitas. Enunciatio affirmata eſt cuius vinculum affirmatum eſt. Negata eſt cuius vinculum notâ negandi affectum eſt. Atqui tum demum nota negandi vinculum afficere putanda eſt cum notæ quantitatis præfigitur, aut immediatè ante vinculum collocatur.*

Sicut par & impar ſunt affectio numeri, ita affirmatio & negatio enunciationis. Quoties ſubiectum Enunciationis eſt univerſale nullâ quantitatis notâ definitum, aut ſingulare & determinatum individuum, ut fiat negatio oportet notam negandi collocare poſt ſubiectum & ante vinculum in Enunciatione pura. Exempli cauſa, ut ex his affirmatis, *homo eſt iuſtus*, & *Socrates eſt iuſtus*, fiant negationes, dicendum eſt, *homo non eſt iuſtus*; *Socrates non eſt iuſtus*. At quando ſubiectum univerſale ſigno univerſalitatis vel partis incertæ notatum eſt, poteſt fieri negatio, vel notâ negandi ſigno quantitatis præpoſitâ, vel inter ſubiectum &

vinculum collocatâ: Exempli gratia, ex his affirmatis, *omnis homo eſt iuſtus*, & *aliquis homo eſt iuſtus*, fiunt dupliciter negationes; nempe, *non omnis homo eſt iuſtus*, *non aliquis homo eſt iuſtus*; &, *omnis homo non eſt iuſtus*, *aliquis homo non eſt iuſtus*. De affirmatione & negatione modalium dicemus infra. Conditionales & disiunctivæ & copulativæ negantur notâ negandi coniunctionibus præfixâ, ut *ſi homo eſt dives certe eſt beatus*, *non ſi homo eſt dives ideo eſt beatus*; *aut dies eſt aut nox eſt*, *non aut dies eſt aut nox eſt*; *Cicero ſapiens fuit & eloquens*, *Cicero non & ſapiens fuit & eloquens*.

3. *Enunciatio negans ab enunciatione infinita ſecernēda eſt: nam & affirmata dividitur in finitam & infinitam. Finita eſt in qua utrumque categorema finitum eſt: infinita eſt in qua alterum aut utrumque infinitum eſt. Nota negandi non negat, ſed tantummodò categorema infinitum reddit, cum inter ſignum qaantitatis & ſubiectum, aut in attributo poſt copulam ponitur.*

Propoſitionis infinitæ tres ſunt modi: vel enim ſubiectum eſt infinitum, attributum autem finitum; ut *aliquis non homo eſt iuſtus*: vel attributum eſt infinitum, & ſubiectum finitum; ut *aliquis ho-*

mo eſt non iuſtus: vel utrumque eſt infinitum; ut *non homo eſt non iuſtus.* Enunciatio ℣ *Eſt* ſecundi adiacentis poteſt fieri infinita reſpectu ſubiecti; ut *non homo eſt*: Sed non reſpectu attributi; nam hæc enunciatio, *Socrates non eſt*, prorſus & abſolutè negativa eſt. Enunciatio verbi adiectivi, ut *homo ambulat*, poteſt quidem evadere infinita, ſed formâ non differet à negante, quamvis in affirmantem reſolvi poſſit per Græciſmum: nam cum dico *homo non ambulat*, poſſum Enunciationem meam exponere vel negando, ut *homo non eſt ambulans*, vel affirmando infinitè, ut *homo eſt non ambulans.* Affirmans ergo infinita à negante finitâ formaliter & expreſsè non differt, niſi nota negādi aut affigatur ſubiecto; aut ponatur in attributo, ſive inter vinculum & id quod ſubiecto devinciendum eſt. De enunciatione infinita vide Ariſt. c. 10. de Interpret. Infinitam à negante ſecernere utile eſt ad leges formandorum ſyllogiſmorum, ut ſuo loco patebit.

CAPVT IIII.

De veritate & falſitate, & gradibus neceſſitatis enunciationum.

1. *Enunciatio vera eſt qua dicitur id eſſe quod eſt, aut non eſſe quod non eſt.*

Falſa eſt quæ dicitur non eſſe quod eſt, aut eſſe quod non eſt. Vera vel eſt neceſſaria, vel contingens. Enunciatio neceſſaria eſt quæ non poteſt aliter ſe habere: ſive, quæ falſa eſſe non poteſt. Contingens quæ poteſt aliter ſe habere: ſive, quæ falſa eſſe poteſt.

VEritas rei cauſa eſt veritatis in oratione, ut docet, Ariſt. c. 12. Categoriarum. Veritas ergo Enunciationis definitur cōformitate orationis cum rebus, non autem cum iudicio & opinione enunciantis. Aliud enim eſt falſum dicere, vel, mendacium dicere, aliud verò eſt mentiri. mentitur ille ſolus qui aliter loquitur, quàm ſentit: at falſum dicit plerumque qui verum ſe putat dicere, vide A. Gellium lib. 11. c. 10. *Enunciatio neceſſaria eſt, &c.*) Varias neceſſarii ſignificationes vide apud Ariſtotelem 5 Metaphyſ. cap. 5. Neceſſitas alia eſt termini ſimplicis, alia enunciationis Neceſſitas termini ſimplicis alia eſt ſimplex, alia hypothetica. Simpliciter & abſolutè ſolus Deus eſt neceſſarium ens, quia ille ſolus non poteſt non eſſe: cæteris entibus non ineſt neceſſitas niſi propter aliquam hypotheſin; nam nec angeli, nec cœlum, nec ulla creatura eſſe poteſt ſine hypotheſi creationis & conſervationis: ſic lux neceſſaria eſt non ſimpliciter, verùm ſi ſol eſt; & calor neceſſariò eſt, non quidem abſolutè, ſed ſi ignis eſt. Ex hypotheſi finis

neceſſarium dividitur in *neceſſarium ad eſſe*, ut alimentum eſt homini neceſſarium ad vitam: & *neceſſarium ad ſic eſſe*, ut equus eſt homini neceſſarius longum iter facturo ut commodiùs & citiùs abſolvat. Neceſſitas enunciationis eſt cohæſio terminorum immutabilis & nexus indiſſolubilis, ut *homo eſt animal*, nam fieri omnino nequit ut homo non ſit animal. Contingentia eſt veritatis mutabilitas, & nexus terminorum ſolubilis, ut *homo eſt dives.*

2. *Enunciationum neceſſitas tribus gradibus dividitur, quorum ſecundus primum, & tertius ſecundum includit, ut binarius unitatem, & ternarius binarium, ſed non vice verſâ. Primus gradus appellatur, De omni; ſecundus Per ſe; tertius Univerſaliter primum. Enunciatio obtinet gradum De omni cuius attributum ſubiecto convenit omni & ſemper.*

Neceſſitas propoſitionum intenditur & remittitur, ſicut calor vel frigus in ſubiecto: quapropter tota eius latitudo in gradus diſtinguenda eſt. Ariſt. 1. poſter. Analyt. c. 4. neceſſariarum propoſitionum gradus explicat; at ego malim hic de illis præcipere, ne præcepta de propoſitionibus diſperſa ſint, & ex diverſis Logicæ partibus colli-

genda. *Quorum ſecundus primum.*) Hoc intelligendum eſt de propoſitionibus quarum ſubiecta notam univerſalitatis admittere poſſunt: nam quæcunque propoſitio vera eſt *per ſe*, ea vera eſt *de omni*, ſi modò eius ſubiectúm capax eſt ſignorum quantitatis, *omnis, aliquis, &c.* Exempli gratia, hæc propoſitio *homo eſt mortalis* ſubiectum habet capax ſignorum univerſalitatis & particularitatis, ideóque non poſſet dici vera *per ſe* niſi eſſet vera *de omni*, ſive attributum *eſſe mortale* non conveniret per ſe homini, niſi omnis homo eſſet mortalis. At propoſitio ſingularis poteſt eſſe vera *per ſe* non tamen *de omni*, quia eius ſubiectum non eſt capax notæ univerſalis: ut *Socrates eſt animal*; nam *eſſe animal* per ſe convenit Socrati, tamen hęc propoſitio non eſt *de omni*. *Enunciatio obtinet.*) Gradus igitur de omni poſtulat duas conditiones: primò ut attributum conveniat ſubiecto univerſaliter reſpectu numeri: Secundò reſpectu temporis. Ac proinde excluduntur à neceſſitatis gradibus prædicationes accidentium ſeparabilium de ſubiectis ut *homo eſt diues, homo eſt iuſtus*: & inſeparabilium quæ ſubiecto non competunt à primo ortu, ut cicatricem habere à vulnere. Hic neceſſitatis gradus ab Ariſtotele vocatur κατὰ παντός.

3. *Per ſe vera dicitur eſſe propoſitio cuius termini eſſentialiter connexi ſunt. Quare duo ſunt modi propoſitionis per ſe veræ: primus eſt cum attributum*

pertinet ad definitionem ſubiecti: Secundus eſt cùm ſubiectum pertinet ad definitionem attributi. Gradus ergo per ſe gradui de omni ſuperaddit nexum eſſentialem & definitivum terminorum.

Per ſe tribus modis dicitur: primò in exiſtendo; ſecundò, in cauſando; tertiò in prædicando vel enunciando. Per ſe exiſtit ſubſtantia, per aliud & in alio accidentia, ut cap. 5. ſuperioris lib. docuimus. Per ſe in cauſando eſt, cum aliquid ab aliquo producitur aut impulſu naturæ, aut conſilio & ratione, ut (vide lib præcedentem c. 12. aphor. 5.) ut *interpoſitâ terrâ inter ſolem & lunam fit ecclipſis*; vel, *accenſo igne in nubibus fit tonitru*: huic acceptioni τ͂ *Per ſe* opponitur eventus ad quem cauſa efficiens nec ductu naturę nec conſilio ferebatur, ut *incidere in theſaurum ſe habet ad foſſorem*: vel etiam coniunctio rerum quarum altera alterius cauſa nullo modo dici poteſt, ut *me ambulante luna patitur ecclipſin, & fit tonitru*: quippe hæc per accidens fit, quia mea ambulatio nullomodo dici poteſt cauſa ecclipſis, aut tonitrui. Per ſe in prædicando eſt gradus neceſſitatis propoſitionum quem in præſentia explanandum habemus: nam *Per ſe in exiſtendo*, & *in cauſando* à nobis jam attinguntur tantummodo ne vocis homonymia quenquam fallat. *Quare duo ſunt modi, &c.*) Definitio eſt oratio explicans eſſentiam definiti: ac proinde non eſt

eſſentialis nexus inter terminos quorum alteruter abſque mentione alterius definiri poteſt. Ergo nulla eſt prædicatio per ſe, niſi in qua aut attributum pertinet ad definitionem ſubiecti, aut ſubiectum ad definitionem attributi. *Primus eſt, &c.)* Sub hoc modo comprehenduntur tria genera prædicationum: primum eſt, cum definitio prædicatur de definito, ut *homo eſt animal rationale*: ſecundum eſt, cum genus proximum aut remotum prædicatur de ſpecie aut individuo, vel ſpecies de individuo, ut *homo eſt animal, homo eſt ſubſtantia, Socrates eſt homo, &c.* tertium, cum differentia proxima vel remota prædicatur de eo cuius eſt differentia conſtitutiva, ut *homo eſt rationalis, homo eſt ſentiens,* &c. Nec refert an id quod ſumitur in definitione poſſit prædicari de definito in recto caſu, an verò non poſſit; nec an ſit pars definiti, an verò principium, ſed non pars: nam punctum de linea prædicari non poteſt in recto, nec dici poteſt punctum lineæ pars, hæc tamen prædicatio eſt per ſe, *lineæ partes vinciuntur puncto*. *Secundus eſt, &c)* Hoc modo prædicatur, proprietas de ſubiecto adæquato, & inadæquato, & de eius definitione; aut differentia proxima atque reciproca, omninoque eſſentiale conſequens de antecedente unde eſſentialiter emanat: nam proprietates definiri non poſſunt perfectè ſine mentione ſubiectorum: Exempli gratia, *par & impar* ſunt proprietas numeri, & hæc prædicatio *omnis numerus eſt par vel impar* eſt per ſe, quia par & impar definiri non poſſunt ſine mentione numeri: ita rectum & obliquum de linea, æquale & inæquale de quantis, & riſibile de

homine, & hinnibile de equo, per ſe prædicantur, quia hęc attributa perfectè definiri nequeunt ſine his ſubiectis. *Gradus ergo per ſe, etc.)* Gradus *de omni* prope accedit ad cōtingentiam, quia non excludit omnia accidentia communia: gradus *per ſe* excludit accidentia omnia communia, adeoque puriorem habet neceſſitatem. Ab Ariſt. vocatur καθ' αὑτό.

4. *Vniverſaliter prima, vel univerſalis prima, dicitur propoſitio quæ per ſe vera eſt & reciproca: itaque gradui per ſe ſuper addit æqualitatem terminorum.*

Ab Ariſt. vocatur καθόλου πρῶτον. Non omnis propoſitio *per ſe*, eſt reciproca & æqualium terminorum. Exempli gratia, hæc propoſitio, *homo eſt animal*, eſt per ſe vera, ut ante diximus; ſed non catholica prima, quia non eſt reciproca; non enim omne animal eſt homo: at hæc, *homo eſt animal rationale*, eſt catholica prima ſive in ſummo neceſſitatis gradu conſtituta; quia eſt reciproca Arcentur igitur à ſummo neceſſitatis gradu prædicationes generis de ſpecie, & ſpeciei de individuo, & differentiæ genus conſtituentis, aut proprietatis generi adæquatæ, de ſpecie vel individuo: adeoque faſtigium neceſſitatis occupant tantùm prædicationes definitionis de definito, differentiæ de ſpecie cum qua reciprocatur, & proprietatis de ſubiecto adæquato. Ratio autem non obſcura eſt:

quippe homo non poteſt eſſe ſine animali, ſed animal poteſt eſſe ſine homine: at nec homo poteſt eſſe ſine riſibili, vel rationali; nec riſibile, vel rationale ſine homine.

5. *Enunciationum contingentium tres quoque ſunt gradus: quædam raro contingunt, quædam ancipitis ſunt naturæ & æquè ſæpe accidunt & non accidunt, quædam plerumque eveniunt.*

Hæc diviſio authorem habet Ariſt. c. 9. de Interpret. Raro contingens eſt ut, *hominem naſci ſedigitum*, vel *dentatum*. Anceps & dubium quod ſolet in utramq; partem accidere eſt, ut *aleâ vincere*, vel *convaleſcere à febri*. Plerumque contingens eſt, ut *hominem naſci quinque digitis*, vel *ſine dentibus*.

6. *Enunciatio falſa vel eſt impoſſibilis, vel poſſibilis: impoſſibilis eſt quæ ita falſa eſt ut vera eſſe non poſſit. poſſibilis eſt quę falſa eſt ſed vera eſſe poteſt.*

Impoſſibile duobus modis dicitur: nempe vel abſolutè & ſimpliciter, vel ſecundùm quid & reſpectu creaturarum. Abſolutè impoſſibile eſt quod implicat contradictionem, ut, aliquid ſimul eſſe & non eſſe, Hominem eſſe ſine anima rationali, nu-

Digitized by Google

merum eſſe nec parem nec imparem, Deum poſſe mori, &c. Impoſſibile ſecundùm quid eſt, ut ſolem ſtare, terram ſurſum tendere, dari ſpatium intra cœli complexum omni prorſus corpore vacuũ, &c. nam hæc impoſſibilia ſunt reſpectu cauſarum naturalium, poſſunt tamen abſolutis Dei viribus fieri, & contradictionem non implicant. Totidem modis dicitur poſſibile: nam aliud eſt poſſibile, etiam reſpectu cauſarum naturalium & finitis viribus præditarum; aliud non eſt poſſibile ulli cauſæ, preter Deum. Poſſibile priori modo acceptum re non differt à contingenti, ſed tantùm ratione; nam quod nondum eſt ſed eſſe poteſt dicitur poſſibile, idemque cum evênit dicitur contingens: quare dividitur in tres gradus ut contingens, vel enim eſt rarò poſſibile, vel plerumque, vel promiſcuè & ſine diſcrimine ſe habet ad utramque partem.

CAPVT V.

De æquipollentia, ſubalternatione, & converſione Enunciationum.

I. *Enunciationis accidentia abſoluta expoſita ſunt: nunc exponendæ veniunt mutuę enunciationum comparationes & relationes. Comparari poſſunt vel*

in convenientia, vel in oppoſitione. Convenientię notiones ſunt Æquipollentia, ſubalternatio, & converſio. Æquipollentia eſt Enunciationum voce aliquatenus diſcrepantium perfecta convenientia in ſenſu: eiuſque notitia ex regulis grammaticis tota ferè dependet.

ÆQuipollentiam Græci ἰσοδυναμίαν appellant. Multas de ea regulas ſcholaſtici tradiderunt quę magna parte ſuperfluæ ſunt, ſi modo Logicæ ſtudioſus grammaticis copiis ſatis inſtructus acceſſit. præcipuas tamen obiter attingam. In primis attendendum eſt quæ ſit vis particulę negandi ante & poſt ſignum Quantitatis: nam ante ſignum univerſalis affirmationis poſita efficit particularẽ negationẽ, ut *non omnis* & *aliquis non* æquipollent: eadem poſt ſignũ univerſalis affirmationis univerſalẽ efficit negationem, ut *omnis non eſt*, id eſt *nullus eſt*. ſimile eſt iudicium de nota negãdi ante & poſt ſignum univerſalis negationis; quippe *nonnullus*, id eſt, *aliquis*; *nullus non*, id eſt, *omnis*. Particula negandi præfixa ſigno partis incertæ facit enunciationem univerſalem, eadem ſubiuncta relinquit enunciationem particularem, ut *non aliquis*, id eſt, *nullus*; *aliquis non eſt*, id eſt, *non omnis eſt*. Ad regulas æquipollentię pertinẽt etiam pręcepta de exponendis enunciationibus obſcuris, (quas ſcholaſtici

barbarè *exponibiles* vocant) cuiuſmodi ſunt excluſivæ, exceptivæ, & reduplicativæ. Excluſiva enunciatio eſt in qua reperitur particula aliqua excluſiva, quales ſunt, *ſolùm, tantùm, duntaxat*. Exceptiva eſt in qua reperitur nota exceptionis, *præter*. Reduplicativa eſt quæ conſtat ex particula reduplicante *Quatenus*. Omnes enim hæ particulæ reddunt enunciationes obſcuras ideoque exponēdas atque commutandas clariore aliqua formulâ quoties in ſyllogiſmo adhibendæ ſunt. De modalium æquipollentia ſunt hæ regulę. Neceſſe & impoſſibile æquipollent ſi in altero dictum affirmetur, in altero negetur, ut *neceſſe eſt eſſe* & *impoſſibile eſt non eſſe*, item *impoſſibile eſt eſſe* & *neceſſe eſt non eſſe* æquipollent: neceſſe & poſſibile æquipollent ſi nota negandi & modo & dicto addatur; ut *neceſſe eſt eſſe*, & *non poſſibile eſt non eſſe*; *poſſibile eſt eſſe*, & *non neceſſe eſt non eſſe* æquipollent: poſſibile & impoſſibile æquipollent ſi nota negandi addatur modo, ſed non dicto; ut *impoſſibile eſt eſſe*, & *non poſſibile eſt eſſe*; *poſſibile eſt eſſe*, & *non impoſſibile eſt eſſe* æquipollent. Poſſibile & contingens ſimpliciter & ſine negatione ulla æquipollent; ut *poſſibile eſt eſſe*, & *contingit eſſe*; *poſſibile eſt non eſſe*, & *contingit non eſſe* æquipollent.

2. *Subalternatio eſt affectio enunciationum ſecundum quantitatem, quâ particulares & ſingulares univerſalibus ſubordinātur, illiſque poſitis neceſſariò*

ſequuntur, ſed non vice verſa.

Enunciationum purarum ubalternatio nihil habet difficultatis: ſubalternantur enim particulares, & ſingulares, univerſalibus eiuſdem qualitatis; id eſt, affirmantes affirmantibus, & negantibus negantes. Exempli gratia, ſi omnis homo eſt mortalis, certè aliquis homo eſt mortalis, & hic aut ille homo eſt mortalis; ſed non vice verſa: ſimiliter, ſi nullus homo eſt quadrupes ſequitur neceſſariò aliquem hominem, vel hunc aut illum hominem non eſſe quadrupedem; ſed non reciprocatur conſecutio. In modalibus res non ita clara eſt; tota tamen pendet à conſideratione quantitatis Modo incluſę. *Neceſſe* & *impoſſibile* ſunt modi univerſales. *Contingens & poſſibile ſunt particulares. Neceſſe* enim includit *ſemper*, quę nota eſt univerſalis temporis affirmans. *Impoſſibile* includit *nunquam* quæ nota eſt temporis univerſalis negans. *Contingens* ergo & *poſſibile* ſubalternantur modis *Neceſſe* & *Impoſſibile*. Sed de his parcè dicere contenti ſumus cùm rari ſint uſus.

3. *Converſio enunciationis eſt mutatio ſubiecti in attributum, & attributi in ſubiectum: eſtque alia ſimpliciter dicta, alia per accidens, alia per contrapoſitionem terminorum. Converſio ſimpliciter dicta eſt in qua ſervatur & eadem qua-*

litas & eadem quantitas: eiuſq; capaces ſunt omnes enunciationes puræ univerſales negantes, & particulares affirmantes, ſalua veritate.

Exempli gratia, ſi hæc convertenda eſt *homo eſt docilis*, converſa erit, *docile eſt homo. Eiuſque capaces ſunt, &c.*) ut, *Nullus homo eſt quadrupes*, ergo *Nullum quadrupes eſt homo: Nullus cygnus eſt niger*, ergo *nihil nigrum eſt cygnus*. Sic, *aliquis homo eſt albus*, ergo *aliquod album eſt homo. Aliquis homo eſt animal*, ergo *aliquod animal eſt homo.*

4. *Converſio per accidens ſive κατὰ μέρος, (id eſt, in parte) eſt in qua ſervatur eadem qualitas, ſed diminuitur quantitas: ſive, cùm univerſalis convertitur in particularem eiuſdem qualitatis.* **Et** *huius converſionis capaces ſunt omnes univerſales affirmantes puræ, ſalva veritate.*

Exempli gratia, *Omnis homo eſt animal*; ſed *non omne animal eſt homo*; quare legitima converſio ſic eſt, *Omnis homo eſt animal*, ergo *aliquod animal eſt homo.* In terminis reciprocis datur converſio univerſalis affirmantis in univerſalem affirmantem:

Digitized by Google

Sed hoc contingit ratione materiæ, non autem ratione formę: ut, *omnis homo eſt Philoſophiæ capax*, &, *Omne Philoſophiæ capax eſt homo*: ſed non ſequitur ratione formę, hoc eſſe, quia illud eſt. Nam cùm dico *Omnis homo eſt animal*, & *omnis homo eſt Philoſophiæ capax*, eadem utrobique eſt enunciationis ſpecies, & eadem quantitas: ſi ergo ratione formæ ſequeretur ex poſteriore *omne Philoſophiæ capax eſſe hominem*, ſequeretur pariter ex priore *omne animal eſſe hominem*.

5. *Particulares negantes plerumque nec huius capaces ſunt conuerſionis, nec illius, ſaluâ veritate.*

Aliquis homo non eſt lapis, & è converſo *aliquis lapis non eſt homo:* hæc tamen cõverſio non eſt formaliter bona; quippe ſi quia *aliquis homo non eſt lapis* ſequeretur *aliquem lapidem non eſſe hominem*; certè quia *aliquod animal non eſt homo* ſequeretur, *aliquem hominem non eſſe animal*: quapropter non ideo *aliquis lapis non eſt homo* quia *aliquis homo non eſt lapis*, ſed quia *nullus homo eſt lapis*. De his converſionis ſpeciebus vide Ariſt. 1. prior. Analyt. c. 2. Cæterùm, diligenter attendendum eſt quod ſit ſubiectum & quod attributum in enũciatione convertenda, alioqui fallemur in converſione enunciationum ex caſibus nominum, vel pręteritis aut futuris verborum. Exempli gratia, huius enunciationis, *Aliquod templum eſt in urbe* attributum non eſt *urbs*, ſed *Eſt in urbe*, ac proinde

conuerſa

converſa eſt, *aliquid quod eſt in urbe eſt templum*; non autem *aliqua urbs eſt in templo*. Itidem huius enunciationis, *Nullus puer fuit ſenex*, attributum non eſt *ſenex*, ſed, *fuit ſenex*, ac proinde convertitur in hanc, *Nullus qui fuit ſenex eſt puer*, ſalvâ & incolumi veritate. In converſione modalium hăbenda eſt ratio *Dicti* tantùm, non autem *Modi*: Exempli gratia, *Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal*, ergo *Neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem*: hîc enim manet in converſâ modus eodem loco quo erat in convertendâ. Propoſitiones particulares negantes quæ pro modo habent. *Contingens* convertuntur ſimpliciter; univerſales autem convertuntur tantùm in parte, ſive converſione dictâ *per accidens*. Vide Ariſt. 1. prior. Analyt. c. 3. Sed modalium converſiones longè difficiliores ſunt quàm utiliores.

6. ***Converſio per contrapoſitionem, vel contradictionem terminorum, eſt in qua pro ſubiecto ponitur cõtradictio attributi, & pro attributo contradictio ſubiecti; & locum habet in univerſalibus affirmantibus puris.***

Hæc converſio elicitur ex Ariſt. 2. topic. c. 8. & vocatur etiam conſecutio indirecta in contradicentibus. Exempli gratia, ſit hæc convertenda. *Omnis homo eſt mortalis*: ponatur *non mortale* in ſubiecto, & *non homo* in attributo, eritque conver-

ſa, *quod non eſt mortale illud non eſt homo*. Scholaſtici animadverterunt hanc converſionem in particularibus quoque negantibus locum habere: ſed hæc obſervatio ut vera eſt, ita inutilis eſt.

CAPVT VI.

De oppoſitione enunciationum.

1. *Enunciationes aliæ reverâ ſibi mutuò oppoſitæ ſunt; aliæ non ſunt, ſed eſſe videntur. Earum quæ reverâ opponuntur aliæ materialiter, aliæ formaliter opponuntur. Materialiter oppoſitæ ſunt in quibus diſparata, relata, contraria, aut privantia attribuuntur eidem ſubiecto, ſecundùm idem, ad idem, & eodem tempore. Formaliter oppoſitę ſunt affirmatio & negatio eiuſdem de eodem, ſecundùm idem, ad idem, & eodem tempore.*

ENunciationes *aliæ reverâ, &c.*) Hæc diviſio deſcripta eſt ex Ariſt. 2. prior. Analy. c. 15. ait enim alias eſſe oppoſitas κατὰ λέξιν, id eſt, quoad vocem;

alias κατ' ἀλήθειαν, id eſt, ſecundùm veritatem. Exempli gratia; *canis latrat*, & , *canis non latrat*; oppoſitæ ſunt κατὰ λέξιν, ſed non κατ' ἀλήθειαν, niſi homonymia ſeponatur; utraque enim vera eſt ſi altera de cane domeſtico, altera de cœleſti intelligatur, adeoque in ſenſu & ſignificatione nulla eſt oppoſitio. Sic, *aliquis homo eſt bonus civis*, & *aliquis homo non eſt bonus civis*, oppoſitæ videntur ſi hæreas in cortice verborũ, ſed non ſunt oppoſitę ſenſu, quia *Aliquis* ſignificat partem incertam, adeoque altera de Cicerone, altera de Catilina accipi poteſt. Quæ κατ' ἀλήθειαν, quæ κατὰ λέξιν duntaxat opponantur, univerſali hac regulâ cognoſci poteſt: *quæ poſſunt eſſe ſimul vera reverâ oppoſita non ſunt.* *Materialiter oppoſita ſunt, &c.*) Vt, omnis homo eſt mortalis, omnis homo eſt immortalis; amicis eſt benefaciendum, amicis eſt malefaciendum; hic homo videt, hic homo cæcus eſt; Soſia eſt Amphitruonis ſervus, Soſia eſt Amphitruonis dominus. *Formaliter oppoſita ſunt, &c.*) Vide Ariſt. c. 6. de Interpret. ut, omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus, vel, non omnis homo eſt iuſtus. *Eiuſdem de eodem.*) τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς, μὴ ὀνόματος, ἀλλὰ πράγματος, καὶ ὀνόματος μὴ συνωνύμου, ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ, ut ait Ariſt. c. 5. de Sophiſt. elenchis, id eſt, *unius eiuſdemque, non nominis, ſed rei: Et nominis non ſynonymi*, (ſynonymum hîc ſumit grammaticè pro diverſo vocabulo idem ſignificante, ut *machæra* & *gladius*) *ſed eiuſdem* Oportet ergo idem de eodem affirmari & negari & nomine & re.

2. *Formaliter oppoſita vel ſunt contra-*

riæ, vel contradicentes. Contrariæ ſunt affirmatio & negatio univerſales: & de illis regula iudicij eſt, Poſſunt eſſe ſimul falſæ, ſed non poſſunt eſſe ſimul veræ. Contradicentes ſunt affirmatio & negatio quarum altera eſt univerſalis, altera particularis, vel ambę ſingulares: de quibus iudicii regula eſt, Nec poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ; ſive, ſemper earum altera vera eſt, & altera falſa.

Contrariæ ſunt, &c) ut omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus. Ambæ enim ſunt falſæ, quia Cicero fuit iuſtus, Catilina non fuit iuſtus: ſed nec hæ ambæ, nec ullæ contrariæ, poſſunt eſſe ſimul veræ, alioqui enim non eſſent revera oppoſitæ, ut ſuprà diximus. Cæterùm non aio contrarias omnes eſſe ſimul falſas, ſed contrarias poſſe eſſe ſimul falſas, id eſt quaſdam contrarias reperiri ſimul falſas: nam in terminis qui per ſe cohærent aut pugnant, contrariarum altera eſt vera, altera falſa, ut Omnis homo eſt animal. Nullus homo eſt animal; Omnis homo eſt quadrupes, nullus homo eſt quadrupes. *Contradicentes ſunt, &c.*) ut omnis homo eſt iuſtus, non omnis homo eſt iuſtus; vel Cato eſt iuſtus, Cato non eſt iuſtus. Duo ergo ſunt genera enunciationum contradicentium: Vel

enim habēt ſubiectum ſingulare certum & deſignatum, vel univerſale. Contradictio de ſubiecto univerſali poſtulat diſcrepantiam non in qualitate duntaxat, ſed etiam in quantitate. In allatis autem exemplis alteram eſſe veram, alteram falſam manifeſtum eſt. Etſi contradicentium ſemper altera ſit vera & altera falſa, tamen in pleriſque non poſſunt homines definire & determinare utra ſit vera, utra falſa; ut in futuris contingentibus: harũ altera proculdubio vera eſt, & altera falſa, Cras pluet, Cras non pluet; Sed utra vera ſit definire ſupra hominem eſt.

3. *Formaliter oppoſitæ videntur, ſed non ſunt, ſubcontrariæ, ſive affirmatio & negatio particulares: Item affirmatio & negatio indefinitæ quantitatis. De utriſque enim iudicij regula eſt, poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed non poſſunt eſſe ſimul falſæ.*

Subcontrariæ.) Vt, aliquis homo eſt iuſtus, aliquis homo non eſt iuſtus: contrariis enim ſubalternatæ ſunt. Vtraque vera eſt, quia Cicero iuſtus fuit, & Catilina iniuſtus: ſed non poſſunt eſſe ſimul falſæ; ſi enim ſubcontrariæ eſſent ſimul falſæ certè contrariæ eſſent ſimul veræ, quod eſt abſurdum: Exēpli gratia, ſi hæc falſa eſt *aliquis homo eſt iuſtus*, contradictio vera erit, nempe *nullus homo eſt iuſtus*;

ſimiliter ſi falſa eſt, *aliquis homo non eſt iuſtus*, vera erit contradicens, *omnis homo eſt iuſtus*; ſi ergo hę ſunt ſimul falſæ, *aliquis homo eſt iuſtus, aliquis homo non eſt juſtus*, hæ erunt ſimul veræ, *omnis homo eſt iuſtus, Nullus homo eſt iuſtus. Item affirmatio, &c.*) Vt, homo eſt iuſtus, homo non eſt iuſtus. Indefinitæ in terminis eſſentialibus aut repugnantibus poſſunt accipi pro contradicentibus; ut, homo eſt animal, homo non eſt animal; ac proinde non poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ: ſed id accidit propter conditionem peculiarem terminorum.

In modalibus contradictio pendet ab affirmatione & negatione modi, ut *Neceſſe eſt hominem eſſe animal, non neceſſe eſt hominem eſſe animal*; ſic *impoſſibile, Non impoſſibile*; *poſſibile, non poſſibile*; *Contingit, non contingit*; contradictiones ſunt. In modalibus de *Neceſſe* & *Impoſſibili* contrarietas pēdet ab affirmatione & negatione *Dicti*: ut *Neceſſe eſt hominem eſſe animal, neceſſe eſt hominem non eſſe animal*: *Impoſſibile eſt eſſe, Impoſſibile eſt non eſſe.* In modalibus de *poſſibili* & *contingenti* affirmatio & negatio dicti faciunt ſubcontrarias: ut *poſſibile eſt eſſe, poſſibile eſt non eſſe*: *Contingit eſſe, Contingit non eſſe*: nam ambæ ſimul veræ ſunt.

Atque hæc de enunciationum oppoſitione, & in univerſum de themate complexo dixiſſe ſufficiat.

INSTITVTIONIS LOGICÆ
LIBER TERTIVS,

DE INSTRVMENTIS TRACTANDI THEMA SIMPLEX, SIVE, De Definitione & Diviſione.

CAPVT I.

Quid ſit definitio, & quotuplex.

1. *Fuit explicatio Thematum inſtrumentis logicis tractandorum: Inſtrumenta quibus tractanda ſunt deinceps explicanda veniunt: quæ tria ſunt, nem-*

Digitized by Google

pe Definitio, Diviſio & Argumẽtatio. Definitione & diviſione thema ſimplex tractandum eſt: nam definitio eſt inſtrumentum quo quid ſit id de quo agitur explicamus. Si vero id de quo agitur in partes dividi poteſt poſt definitionem diviſione utendum eſt.

HActenus fuit prima Logicæ pars, de thematibus quæ ſcienda proponuntur: ſequitur altera, de inſtrumentis ſciendi, ſive de illis quæ facienda ſunt ut thematis cuiuſlibet propoſiti ſciẽtiam aſſequamur, aut ad eam quàm proximè accedamus. Tria eſſe inſtrumenta Logica omnes priſci crediderunt, nempe definitionẽ, diviſionem, & argumentationem: quare & Porphyrius in limine ſuæ Iſagoges prædicabilium notitiam ad præcepta definiendi, dividendi, ac demonſtrandi utilem fore præfatur, indicare volens eam ad omnia inſtrumenta Logica neceſſariam: & nonnulli *Logicam* definiverunt *artem bene definiendi, dividendi, & argumentandi.* Ipſe Ariſtoteles non tantùm demonſtrationem (quæ præcipua eſt ſyllogiſmi ſpecies) verùm etiam definitionem pro inſtrumento ſciendi agnoſcit, 1. Metaph. c. 7. diviſionem prætериens tanquam quæ ſola, ſive abſque definitione aut ſyllogiſmo, ſcientiam non parit: eiuſdem tamen utilitatem aſſerit in venanda definitione c. 13.

libri 2. poſt. Analyt. & nos de ea fuſiùs infrà dicemus. *Definitio eſt inſtrumentum*) Definitio conſiderari poteſt vel ut in mente, vel ut in voce. Definitio vocalis pro genere habet orationem: omnis enim definitio eſt oratio ex duabus ad minimum vocibus conſtans, adeóque explanatio unius nominis per alterum notius definitio non eſt, quia non eſt oratio, ſed unica dictio: ut ſi quis *ſtribiligi-nem* interpretetur *ſolœciſmum*, vel *machæram*, *gladium*, Ariſt. 1. Topic. c. 5. Sed quia definitioni accidit pronunciatio vel expreſſio vocalis, pro eius genere maluimus ponere inſtrumentum: definitio enim eſt inſtrumentum logicum eſſentialiter & per ſe, ſive in mente lateat, ſive voce pateat. Differentia definitionem à cæteris inſtrumentis logicis ſecernens deſumpta eſt ab eius fine, vel effecto proprio; quippe finis definitionis eſt explicare thema propoſitum, & involutam atque complicatam animi notionem evoluere: ſive, ſatisfacere quæſtioni quid ſit id de quo agitur: nam etſi genus prędicatur in reſponſione quęſtioni quid eſt, tamen non exhaurit quæſtionem quid eſt, ut c. 3. libri primi docuimus. Definitio, quę & finitio à Latinis dicitur, Græcè ὅρος vel ὁρισμὸς appellatur, nomine tranſlato ab agris ad rerum eſſentias finiendas; nam ὅρος terminum ſignificat, & ut lapides terminales, vel foſſæ circumductæ, agrum tuum à vicinia diſſepiunt; ita definitio id de quo agitur finit, terminat, includit, & ab omnibus aliis diſtinguit. Eſt ergo Metaphora è re ruſticâ. Poteſt etiam dici tranſlatio è Geographia, quia geographi regiones deſcribunt à terminis; ut cùm Galliam dicunt eſ-

ſe quæ à Septentrione & occaſu Oceano, à meridie montibus Pireneis & mari Mediterraneo, ab Oriente Rheno terminatur. Cæterùm, definitio quandoque pro ſola oratione accipitur quâ definitum explicamus, & ita definitio non eſt enunciatio, quia *nec dicit eſſe, nec non eſſe*, ut teſtatur Ariſt. 1. poſt. Analyt. c. 10. t. 78. Exempli gratia, hæc oratio, *animal rationale*, dicitur definitio hominis: quandoque ſumitur pro oratione compoſitâ ex definito & definiti explicatione, & ita non tantùm eſt enunciatio, verùm etiam inter enunciationes principatum obtinet; Exempli gratia, hæc enunciatio *homo eſt animal rationale*, definitio appellatur. *Si id de quo agitur, &c.*) Exempli gratia, ſit thema explicandum *corpus*: definitione explicabitur hunc in modum, *Corpus eſt ſubſtantia compoſita ex materia & forma*. Sed quia *corpus* eſt totum univerſale multas ſuo cõplexu ſpecies ambiens, oportet eius definitioni ſubiungere diviſionem, hoc pacto, *Corpus aliud eſt ſimplex, aliud mixtum*; & ſingulas diviſionis partes ſuis definitionibus explicare. Item ſit thema *Homo*: definitione explicabitur hoc modo, *Homo eſt animal rationale*; ſed quia *homo* eſt totum eſſentiale oportet ſubdere eius diviſionem in animam & corpus, & de utroque verba facere.

2. *Definitio alia eſt nominis, alia rei. Definitio nominis eſt quæ explicat quid nomen ſignificet. Definitio rei eſt quæ*

explicat quid res ſit quæ nomine ſignificatur.

Definitio nominis, quæ & nominalis appellatur, Græcè λόγος ὀνοματώδης, nominis notationem vel etymologiam continet; ut *Philoſophia eſt ſtudium ſapientiæ, Geometria eſt ſcientia terram dimetiendi, triangulum eſt quod tres habet angulos, &c.* Nulla harum definitionum explicat eſſentiam rei de qua agitur, etſi ſingulæ nominis definiti ſignificationem complicatam & involutam explicant & evoluunt. Quandoque tamen accidit ut ex genere & nominis definiti notatione ipſa rei definitio oriatur; ut *Arithmetica eſt ſcientia numerorum*, hæc enim definitio ita eſt nominis ut ſimul quid ſit ipſa res nomine ſignificata explicet.

3. *Definitio rei alia eſt perfecta, alia imperfecta. Perfecta eſt quæ rei definitæ eſſentiam perfectè explicat. Imperfecta eſt quæ eſſentiam rei aut non explicat, aut imperfectè explicat. Vnius rei unà tantùm eſſe poteſt definitio perfecta, imperfectę verò propemodum innumeræ.*

Plerique definitionem perfectam appellant eſſentialem, imperfectam verò accidentalem, quaſi nulla eſſet definitio eſſentialis imperfecta. Erro-

rem tamen errant non ferendum: quippe definitio quæ explicat eſſentiam proprii accidentis ſine mẽtione cauſæ per quam ſubiecto competit ab Ariſt. 2. poſt. Analyt. c. 10. t. 44. cenſetur nominalis tantummodo & imperfecta. Exempli gratia, hæc tonitrui definitio, *Tonitru eſt ſonus in nube*, eſſentialis eſt, licet non ſit perfecta, cùm eſſentiam tonitrui non explicet perfectè & ut eſt, id eſt, per adiectionem cauſæ efficientis quæ eſt *accenſus ignis in nube*: perfecta enim & rotunda definitio hæc erit, *tonitru eſt ſonus in nube propter accenſum in ea ignem*: ſed de perfectis accidentium definitionibus infrà dicemus. *Vnius rei una tantùm, &c.)* Itaque ſi unius rei plures definitiones afferuntur, videndum eſt an voce tantùm, an & ſignificatione differant: una enim eademq; definitio perfecta diverſis verborum formulis exprimi poteſt, ita tamen ut ſenſu conveniant.

4. *Definitio imperfecta his potiſſimùm modis variatur: Alia eſt cauſalis, quæ conſtat ex cauſis externis duntaxat, cuiuſmodi ſunt efficiens & finis: alia conſtat ex enumeratione partium, vel ſpecierum: alia ex genere & proprietate una, vel pluribus, vel ex effectis, vel ex frequentia & coacervatione circũſtantiarũ & accidentiũ cõmuniũ: alia eſt per*

remotionẽ oppoſiti: alia per Metaphoram, ſimilitudinem, aut analogiam, & hæc propriè alluſio vocatur, &c.

Ex cauſis externis, etc.) Vt ſi definirem hominem *creaturam Dei æternæ beatitudini vel miſeriæ deſtinatam*, hæc enim explicatio eſt hominis ab efficiente & fine, quæ in eſſentia non ſunt. Sic cauſalis definitio ſoni eſt *colliſio duorum corporum*, & ecclipſis *interpoſitio terræ inter ſolem & lunam*, & iræ *fervor ſanguinis circa cor*, & lineæ *fluxus puncti*, *&c.* Tantũ abeſt harũ quatuor unaqueq; à perfectione, ut nec veræ quidẽ ſint niſi tropicè: quippe ſonus non eſt colliſio corporum, ſed oritur ex colliſione corporum; Eclipſis non eſt interpoſitio terræ inter ſolem & lunam, ſed accidit lunæ propter interpoſitionem terræ, &c. *Ex enumeratione partium.*) Hæc definitionis formula poteſt appellari diviſiva: ut ſi Logicam definirem *artem bene definiendi, dividendi, & argumentandi*: ſic orator deſcribitur eſſe *qui de omni re quæ voce explicanda ſit prudenter, compoſitè, ornatè, & memoriter dicere poteſt cum quadam etiam pronunciationis dignitate.* Itidem domus deſcribi poteſt *quæ ex fundamento, parietibus, contignatione & tecto conſtat. Ex genere & proprietate, &c.*] Vt, *homo eſt animal Philoſophiæ capax*, vel *riſibile*, vel *gloriæ & dominationis amans*, vel *bipes, implume, erecto vultu, &c.* Huc pertinent proſopographiæ, topographię, chronographiæ, &c. *Per remotionem oppoſiti*) ut *virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima ſtultitiâ caruiſſe: te-*

pidum eſt quod nec calidum, nec frigidum eſt. Alia per metaphoram, &c.) ut, *ſtulte quid eſt ſomnus gelidæ niſi mortis imago; Adoleſcentia eſt flos ætatis; Intellectus eſt animæ oculus;* Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, *vidiſti in ſomnis umbram ſi quando fugacem, hæc vita eſt hominum, &c.* Atque hic maximè luxuriant poëtæ & oratores.

CAPVT. II.

Inveſtigatio definitionis: Item regulæ definitionum generales: & quæ perfectæ definitionis capacia ſint, quæ autem non.

1. *Inveſtigatio definitionis alia eſt per diviſionem, alia per collectionem ſimilium, alia per nominis notationem aut derivationem, alia per contrarij definitionem.*

PRimam & ſecundam definitionis inveſtigandę methodum præſcripſit Ariſt. 2. poſt. Analyt. c. 13. Tertiam & quartam ſecutus eſt in Ethicis & alibi. *Per diviſionem.*] Sit inveſtiganda definitio hominis, Per diviſionem ſic invenietur. Homo eſt

in genere ſubſtantiæ, non autem qualitatis vel quantitatis, &c. Angelus quoque ſubſtantia eſt: videamus ergo quomodo homo ab Angelo differat. Subſtantia vel eſt corporea vel incorporea: homo corpus eſt, Angelus incorporeus eſt. Sed & lapis eſt corpus: quare corpus dividendum eſt in animatum & inanimatum: homo eſt corpus animatum, lapis non eſt animatus. Sed & arbores animatæ ſunt: ſubdividendum ergo corpus animatum in ſentiens, & non ſentiens: homo eſt ſentiens, arbor non eſt ſentiens. Sed & bos ſentit: divide igitur ſentiens in rationale & irrationale: homo rationalis eſt, bos non eſt rationalis. Nullum eſt animal rationale præter hominem, hîc ergo ſiſtendum eſt: & inventa eſt definitio hominis, *animal rationale*, vel *ſubſtantia corporea, animata, ſentiens, rationalis. Per collectionem.*) Inductioné & comparatione ſimilium colligitur definitio animalis hoc modo. Socrates eſt animal, & eſt rationalis: bos eſt animal, ſed eſt irrationalis; itaque rationale & irrationale reiicienda ſunt tamquam anguſtiora eo cuius definitio quæritur. At homo, bos, equus, leo, cæteraque animalia ſentiunt, & nihil præter animal ſentit: quare ſentiens ponendum eſt in definitione animalis. Item animal eſt corpus vivens, & arbor eſt corpus vivens; at lapis corpus eſt & non vivit. quare non eſt ultra aſcendendum, quia inventa eſt definitio hæc animalis *corpus vivens, ſentiens*. In utraque methodo ſummum eſt periculum ne differentiæ accidentales pro eſſentialibus ſumantur; quare hoc ſummoperè cavendum eſt. *Per nominis notationem, &c.*]

Digitized by Google

Nominis notatio quandoque differentiam rei definiendę eſſentialem denotat; ut ſi definienda eſſet Phyſica; quippe animadverſâ ſignificatione nominis φύσις elucet *Phyſicam eſſe rerum naturaliũ ſcientiam.* Sic Ariſt. 6. Ehic c. 5. ex uno coniugatorum quid ſit alterum colligit, nempe ex definitione *prudentis* definitionem *prudentiæ* elicit. *Per cõtrariu definitionem*] Ita Ariſt. 3. Ethic. c. 1. ex definitione ἀκουσίου, id eſt, *inuiti*, definitionem ἑκουσίου, id eſt, *voluntarii*; & 5. Ethic. ex definitione iniuſtitiæ & iniuſti definitionem iuſtitię & iuſti venatur.

2. *Regulę definitionum ſunt præcipuè ſex: Primò, ſint breves; Secundò, apertæ; Tertiò, reciprocę; Quartò, ſignum quãtitatis definito ne pręmittatur; Quintò, definitionis partes ſine coniunctione proponantur; Sextò, ne ſint definitiones negativæ.*

Regulas definitionum vide apud Ariſt. 6. Topicorum. *Breves.*) Ita nimirum ut nullum verbum otioſum in illis appareat, adeoque abſit, ταυτολογία & περισσολογία omnis: non autem ut minus dicatur quàm neceſſe eſt. Vitanda ergo eſt ſtulta brevitatis affectatio, ne ad perſpicuitatem aliquid deſit, iuxta illud Horatii. *Brevis eſſe laboro, obſcurus fio. Apertæ.*) id eſt, claræ & perſpicuæ: Abſint ergo homonymiæ, abſint & metaphorę omneſque

omneſque tropi, niſi triti, & uſu illuſtrati: nam metaphoræ neceſſariæ ſunt cum deſunt propria rerum nomina. Ratio huius regulæ eſt, quia definitio comparata eſt ad definiti explicationem, non autem ad eius occultationem. *Reciproca.*] Definitio nec latior definito, nec anguſtior eſſe debet: alioqui definitum non aptè diſtingueret ab omnibus aliis. *Signum quantitatis definito, &c.*) Exempli gratia, *hominem* definientes non dicimus, *omnis homo eſt animal rationale*, nec *quidam homo, &c.* ſed abſque ſigno quantitatis, *homo eſt animal rationale*. Sed quia definitio & definitum reciprocantur, poſſumus ex definitione efficere enunciationem univerſalem affirmantem, quo ſenſu accipiẽdum eſt quod Ariſt. *2.* poſt. Analyt c. 3. dixit, *omnem definitionem eſſe univerſalem affirmantem. Definitionis partes, &c.*] Vt, *homo* definiri debet *animal rationale*, non autem, *animal & rationale*; quia definitio eſt unius eſſentiæ explicatio; atqui coniunctionis officium eſt ubi plura inveniuntur, Ariſt. c. 5. de Interpret. *Ne ſint definitiones negativæ.)* Quippe definitio explicat quid res ſit: at negatio explicat duntaxat quid non ſit. Excipe ab hac regula duos rerum gradus, nempe res perfectiſſimas, & imperfectiſſimas. Exempli gratia, Deum non poſſumus definire niſi negativè, quia eius perfectio ſuperat omnem affirmationem: Sic punctum definiri nequit niſi per negationẽ magnitudinis & partiũ, quia eius entitas tenuis eſt & perexigua. Firma tamen & omni exceptione maior eſt ea regula, ſi de definitione ſimpliciter perfecta intelligatur.

3. *Sed cum hæ regulæ definitionibus perfectis & imperfectis communes plerúmque ſint, iam porro videamus regulas proprias definitionis perfectæ & κυρίως λεγομένης. Quæ tres potiſſimùm ſunt: Primò, quod perfectæ definitionis capax eſt debet eſſe verè unum: Secundò perfecta definitio ex genere proximo & differentia eſſentiali coaleſcit: Tertiò, genus ante differentiam, & communiora ante minùs communia collocari debent.*

Primò quod perfectæ, &c.) Hac regulâ è cœtu definiendorum excluduntur homonyma, quibus ſecundùm nomen commune non poteſt una aptari definitio: excluduntur & complexa, ut eſt *homo albus*, homo quidem definiri poteſt, & album definiri poteſt, at homo albus unica definitione explicari non poteſt. *Secundò perfecta definitio*) Hanc regulam & ſequentem tradit Ariſt 2. poſt. Analyt. c. 13. t. 77. Iubet enim in definitione colligere attributa eſſentialia; eaque omnia; & collecta ſic diſponere ut communiora præcedant. *Ex genere proximo*) Quippe genus proximum includit omnia remotiora & ſuperiora: ut qui dicit *animal*, is dixiſſe putandus eſt, *ſubſtantia corporea animata ſentiens*, quia hæc in definitione animalis continen-

tur: adeoque brevitatis ſtudio ponendum eſt in definitione genus proximum. Exempli gratia, dicendum potius eſt, *homo eſt animal rationale*, quàm *corpus animatum ſentiēs rationale.* Excipe ab hac regula definitiones eorũ quorũ genera proxima aut propriis nominibus carent, aut obſcura ſunt: hoc enim caſu fas eſt loco generis proximi ponere eius definitionẽ, id eſt, genus remotum cum differentia ipſum reſtringente ad proximum. *Et differentia eſſentiali*) Genus in definitione quandoque reticetur, nempe cum ex præmiſſis facilè colligi poteſt: ſed differentiam reticere fas non eſt. Non eſt neceſſe ut differentia eſſentialis uno vocabulo contineatur: poſſunt enim plures conditiones partiales in unam differentiam adæquatam coire. Eſſentiale autem iam vocamus id ſolùm à quo definitum dependet, adeoque naturâ prius & notius eſt. quare proprietas quæ eſſentialis eſt ut conſequens eſſentiæ, in definitione ſimpliciter perfecta locum non habet. *Genus ante differentiam, &c.*) In definitione particula quæque ſequens contrahere & reſtringere debet proximè præcedentem: Exempli gratia, *animal* rectè definitur *corpus animatum ſentiens*, non autem, *ſentiens animatum corpus.*

4. *Vnde liquet nec tranſcendentia, nec genera ſumma, nec individua, nec ulla eorum quę è recta ſerie categorica arcentur, perfectæ definitionis capacia eſſe.*

Quippe tranſcendentia & genera ſumma non habent ſupra ſe genus: individua non differunt differentiis eſſentialibus, ſed tantùm collectione circumſtantiarum quæ ſingulæ poſſunt eſſe pluribus communes. Itidem quæ in recta ſerie categorica locum non habent genere propriè dicto carent, omnia tamen hæc definitione adumbratâ & imperfectâ, ſive deſcriptione explicari poſſunt.

5. *Subſtantiarum perfectæ definitiones rariſſimæ ſunt: quia ſemper ferè nos latent earum differentiæ conſtitutivæ quas deſumere oporteret ab eo quod eſt in eſſentia ipſarum. Accidentium perfectæ definitiones frequentiores occurrunt: & ex genere, ſubiecto proprio, & cauſa efficiente, aut finali, adæquata & reciproca conſtant. Vnde liquet non omnia accidentia perfectè definiri poſſe: non enim omnium dantur cauſę reciprocæ & ſubiecta propria.*

Imperfectio definitionis alia eſt neceſſaria, alia voluntaria. Neceſſaria eſt quam vitare non poſſumus: eſtque vel ex parte rei, cum nimirum id de quo agitur non eſt capax perfectæ definitionis, ut ſunt tranſcendentia, genera ſumma, & individua,

& quæcumque directè in Categoriis locum non habent: vel ex ignorantia noſtra, qui miniſterio ſenſuum egentes ultra rerum accidentia intellectu rarò penetramus, & ſicut vulpes eluſa à ciconia lambimus vitreum vas, pultem haud attingimus, ut pulcherrimè ait Iul. Scaliger exercit. 307. Voluntaria imperfectio definitionis eſt quam vitare liceret ſi liberet: ut, cùm delectationis ergò, vel amplificationis & exaggerationis, vel ut captui populari nos accommodemus, relictis perfectę definitionis legibus, rem aliquam deſcribimus. *Quas deſumere oporteret, &c.*) Hoc intereſt inter perfectas ſubſtantiarum & accidentium definitiones, ſubſtantiarum definitiones perfectæ conſtant ex illis ſolis quæ ſunt in eſſentiis ipſarum. at accidentia non poſſunt perfectè definiri niſi cum additamento (ἐκ προσθέσεως): id eſt, earum differentiæ eſſentiales deſumendæ ſunt à reſpectu & habitudine ad aliquid quod non eſt in ipſorum eſſentia, ut ſunt ſubiectum cui inhærent, & cauſa efficiens, & finalis, vel aliud quiddam quod ſæpe non eſt eiuſdem categoriæ. Quippe habitus & potentiæ definiuntur per obiecta & actus: & relata per fundamentum & terminum relationis. *Ex genere, ſubiecto proprio, &c.*) Exempli gratia, *Tonitru eſt ſonus in nube*: genus eſt *ſonus*, differentia ſumitur à ſubiecto proprio, nempe *nube*. Nubes non eſt differentia tonitrui, ſed *eſſe in nube*. Hæc definitio eſſentialis quidem eſt, at quia non continet cauſam efficiētem tonitrui non cenſetur perfecta, ſed tantùm nominalis (ſic enim Ariſt. appellat imperfectas & minùs elimatas accidentium propriorum

definitiones, ſive contineant nominis notationem, ſive non.) Addatur ergo cauſa eritque perfecta definitio, *Tonitru eſt ſonus in nube propter oppreſſum ignem.* Similiter *Riſibilitas* definiatur *potentia in homine ad riſum*, eritque definitio tantùm inchoata: genus *potentia*: ſubiectum *homo*: actus, qui & finis, *riſus.* Addatur cauſa efficiens quæ eſt anima rationalis, eritque conſummata definitio, *Riſibilitas eſt potentia ad riſum in homine orta ab anima rationali.* Quandoque ſubiectum reticetur tanquam ſatis notum: ut, *Riſibilitas eſt potentia ad riſum orta ab anima rationali.* Facilè enim colligitur riſibilitatem eſſe potentiam quãdam hominis propriam, cum dicitur, eſſe *ab anima rationali. Vnde liquet non omnia, &c.*) Exempli gratia, *Triangulum* non habet proprium & adæquatum ſubiectum, nec ab una cauſa efficiente dependet, ac proinde non fert perfectam definitionem. Definitiones enim quæ à Mathematicis traduntur de quantitatibus abſtractè & citra conſiderationem ſubiecti (ut ſunt definitiones lineæ, ſuperficiei, & ſolidi 1. lib. c. 6. à nobis traditæ) eſſentiales quidem ſunt, ſed non perfectæ. Quòd ſi quis eas perfectas quodammodo, ſive in ſuo genere, appellandas contendat, non repugnabo: iam enim loquor de perfectis ſimpliciter, & non tantùm Mathematicè, verùm etiam Phyſicè.

CAPVT III.

Quid ſit diviſio, & quotuplex.

1. *De definitione ſatis. Alterum thematum ſimplicium tractandorum inſtrumentum eſt diviſio, quæ vel eſt impropriè, vel propriè dicta. Diviſio impropriè dicta eſt enumeratio ſignificationum homonymi vocabuli, aut ſententiæ ambiguę: & quoties id de quo agitur homonymum eſt aut ambiguum à principio ſtatim diſputationis eam adhibere oportet. Diviſio propriè dicta eſt quâ totum in partes explicatur, eſtque alia per ſe, alia per accidens. Diviſio per ſe eſt quâ totum dividitur in partes quę ipſi per ſe inſunt. Diviſio per accidens eſt quâ totum dividitur in partes quę per accidens ipſi inſunt.*

VT definitio alia eſt nominis, alia rei; ita quoque diviſio. Diviſio nominis non eſt diviſio

propriè dicta, ſed duntaxat enumeratio. *Homonymi vocabuli aut ſententiæ.*) Quandoque enim multiplicitas ſignificandi in una voce reſidet, ut cùm dico, *Gallus cantat*, dictio *gallus* ambiguam & incertam facit ſententiam: quandoque in pluririum vocum ſyntaxi, ut cùm dico *hic liber Ariſtotelis eſt*, vel enim intelligo Ariſtotelem huius libri authorem extitiſſe, vel poſſeſſorem eſſe. Sive autem in unica dictione ſit homonymia, ſive in ſententia ſit amphibolia, ſignificatorum multiplicitas in principio diſputationis explicanda eſt, ne πρὸς τοὔνομα, non autem κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα diſputatio contingat, ut monet Ariſt. 1. Topic. c. ultimo. Regulas diſtinguendę homonymiæ vide eodem libro c. 15 *Diviſio per ſe eſt.*] Exempli gratia, diviſio animalis in hominem & beſtiam eſt diviſio per ſe, quia homo & beſtia per ſe comprehenduntur ſub animali: ſive, hæ partes huic toti inſunt per ſe & ratione ſui, non autem per aliud, ſive ratione alterius cuiuſpiam. *Diviſio per accidens eſt.*) Sic *homines* diuiduntur in *ſervos* & *liberos*: formales enim rationes partium dividentium, nempe, *ſervitus* & *libertas*, non inſunt homini per ſe, ſed cum relatione externæ conditionis in civitate, adeoque hæc diviſio, per ſe eſt ſtatus & conditionis quę homini accidit, non autem ipſius hominis. Similiter cùm flores dividuntur in vernos, æſtivos, & autumnales, diviſio accidit floribus, & per ſe competit tempori quo flores naſcuntur.

2. *Diviſio per ſe dicta quadruplex eſt:*

nam alia eſt totius univerſalis in partes ſubordinatas: alia definiti, in partes definientes ſive Metaphyſicas: alia compoſiti in materiam & formam: alia integri in partes quantas ſive integrantes, quę partitio proprie appellatur.

Diviſio *per ſe dicta* inſtrumentum eſt quo partes quæ in toto aliquo coniunctæ ſunt, & unitæ, ſecernuntur: quare tot oportet eſſe eius genera, quot ſunt totius & partium: atqui totum & partes quatuor modis dicuntur ut c. 12. lib. 1. docuimus. *Totius univerſalis.)* Vt cùm ſubſtantia dividitur in corpus & ſpiritualem eſſentiam: animal in hominem & beſtiam; beſtia in bovem, equum, aſinum, &c. Sic color dividitur in albedinem, nigredinem & colores medios; & virtus moralis in liberalitatē, temperantiam, iuſtitiam, &c. *Definiti in partes definientes.)* Hæc diviſio nihil aliud eſt quàm reſolutio definitionis in partes ex quibus coaluit: ut cùm hanc animalis definitionem, *Corpus animatum ſentiens*, reſoluo in duas partes, aiens, *corpus animatum* eſſe genus animalis; *ſentiens*, differentiam. *Compoſiti in materiam.)* Sic *homo* dividitur in *Corpus* & *animam rationalem*: & ſtatua in materiam quæ lapis eſt aut lignum, & formam quæ eſt imago Cæſaris, aut alterius cuiuſpiam. *Integri in partes quantas.)* Vt homo dividitur in caput, pectus, ventrem, &c. Annus in menſes, dies in horas, numerus denarius in ſeptenarium & ternarium.

3. *Diviſio per accidens dicta alia eſt effecti per cauſam efficientem, materialem, aut finalem: alia cauſę per effecta: alia ſubiecti per adiuncta: alia adiuncti per ſubiecta: alia adiuncti per adiuncta.*

Effecti per cauſam, &c.) Diviſio effecti per cauſam formalem eſt diviſio *per ſe*: Vt cùm dico ſtatuam aliam eſſe hominis, aliam alterius cuiuſpiam animalis: Hæc enim reverâ eſt diviſio generis in ſpecies. At diviſiones effecti per alia cauſarum genera ſæpe accidentales ſunt. Per efficientem; ut ſtatua alia facta erat à Phydia, alia à Polycleto. Mures alii à parentibus geniti ſunt, alii orti ex putri materiâ calore ſolis temperata: hæ enim diviſiones, non ſunt ſtatuarum & murium formaliter & per ſe, ſed duntaxat cauſarum à quibus efficiuntur. Per materiam; ut, ſtatuæ aliæ ſunt ex ligno, aliæ ex marmore, aliæ ex auro, &c. Hęc enim non eſt diviſio ipſius ſtatuæ, quatenus eſt ſtatua, ſed materiæ ex qua ſtatuæ factæ ſunt. Per finem; ut, vaſorum alia ſunt vinaria, alia aquaria, alia eſcaria, &c. Hæc enim diviſio per ſe & primò non eſt vaſorum, ſed finium quibus vaſa deſtinata ſunt, poteſtque eadem eſſe ſpecies vaſorum diverſis finibus inſervientium. *Cauſa per effecta.)* Vt, herbarum aliæ calefaciunt, alię refrigerant, aliæ ſalubres ſunt, aliæ noxiæ, &c. *Subiecti per adiuncta.)* Vt hominum alii liberi, alii ſervi, alii boni, alii mali, alii mares, aliæ fœminæ. Hæc diviſio latiſſimè patet,

poteſt enim ſubiectum dividi per omnes accidentium categorias: huiuſmodi autem diviſio non competit ſubiecto per ſe & quatenus eſt id quod eſt, ſed accidentibus ſubiectum afficientibus. Talis eſt diviſio rei in univerſalem & ſingularem. Rei enim per ſe non competit, ſed per externam denominationem ab intellectu, ut diximus, c. 2. libri 1. Talis quoque eſt diviſio trita individui in vagum & ſignatum, non enim competit per ſe rei individuæ, ſed eius expreſſioni vocali, atqui expreſſio uocalis poteſt dici accidens, vel adiunctum contingens rei expreſſæ. *Adiuncti per ſubiecta.*) Vt cùm divido dulcia in lac, mel, ſaccarum, &c. Hæc enim diviſio non per ſe competit dulcibus, ſive ratione dulcedinis illis non competit, ſed ratione ſubiectorum. Plerumque tamen evenit ut diviſio accidẽtis per ſubiecta ſit ei eſſentialis, ut cùm habitus dividũtur in habitus mẽtis & appetitus, nam à mente & appetitu deſumuntur differentiæ eſſentiales habituum. *Adiuncti per adiuncta.*) Vt bonum aliud eſt honeſtum, aliud utile, aliud iucundum: hîc enim unum adiunctum per alia adiuncta dividitur: ſimiliter eſſet ſi dicerem dulcia alia eſſe candida, alia flava; nam dulcedo & colores ſunt adiuncta eiuſdem ſubiecti. Itidem, fœmina alia eſt deformis, alia formoſa: fœmina enim eſt nomen ſexus qui homini accidit; ac proinde fœmina, deforme, & formoſum ſunt adiuncta eiuſdem ſubiecti.

CAPVT IIII.

Regulæ diviſionum.

1. *Regulæ diviſionum præcipuæ ſunt quinque. Prima eſt, ſit aliquis dividendi finis & modus.*

RECtè Seneca epiſt. 89 *Idem vitii habet nimia quod nulla diviſio: ſimile enim confuſo eſt quidquid in pulverem uſque ſectum fuerit.* Diviſio non debet procedere in infinitum, ſed in aliquo indiviſibili terminari; quia infinitorum non eſt ſcientia: cum ergo ventum fuerit ad partes minutas, nî ſubſtiteris, plus obſuerit quàm profuerit diviſio.

2. *Secunda eſt, Partes dividentes ſingulæ minus contineant quàm diviſum, univerſę nec plus nec minus.*

Tritum eſt axioma, *Omne totum eſt maius ſua parte*: atqui diviſum eſt totum reſpectu ſingulorum dividentium. Porrò ſi altera diviſionis pars diviſo æqualis eſſet, altera eſſet ſuperflua. Itidem oportet partes univerſas reciprocari cum diviſo, alioqui aut mutila erit diviſio, aut aliqua parte redundans.

3. *Tertia regula eſt, Partes dividentes toti conſentaneæ, ſed inter ſe oppoſitę eſſe debent.*

Vitioſa ergo eſſet diviſio *hominis* in *vivum* & *mortuum*, quia *mortuum* repugnat *homini* cuius diviſio inſtituitur. Similiter ſtulta eſt diviſio Deorum in *Deum Opt. Max.* & *Deos minores*; nam poſterior diviſionis pars repugnat naturæ Divinæ, is enim non eſt Deus quo datur maior & melior. Partes dividentes debent eſſe ſibi mutuò oppoſitæ, ne coincidant & de uno eodemque ſecundùm idem, ad idem, & eodem tempore verè prædicari poſſint. In diviſione tamen cavendum ne altera pars per meram alterius negationem proponatur, niſi fortè nõ poſſit res aliter exprimi quam negatione oppoſiti. Talis enim diviſio arte caret & animo non ſatisfacit; ut ſi quis, *corpus* divideret in *ſimplex* & *non ſimplex*; & *ſimplex* in *cælum*, & *non cælum*: uel, *colorem* in *albedinem* & *non albedinem*, &c.

4. *In diviſione ſumendę ſunt partes proximę & immediatę, quoad eius fieri poteſt.*

Cum id de quo agitur dividi poteſt in partes maiuſculas, hoc eſt, ſubdiviſionis capaces, non eſt deſiliẽdum à toto ad partes minimas, ſed gradatim deſcendendum per intermedia; Exempli gratia, ſi dividendum eſt *corpus animatum*, non primâ ſtatim

diviſione in *plantas, homines, equos boves, &c.* dividendum eſt; Sed primò in *plantam* & *animal*, deinde *animal* ſubdividendum in *hominem* & *beſtiam*: demùm *beſtia* in *equum, bovem, &c.* Si tamen intermedia aut ignota ſunt, aut propriis nominibus carent, ſine vitio præteriri poſſunt, quia diviſio inſtrumentum eſt cognitionis, ac proinde non debet inſtitui niſi convenienter cognitioni.

5. *In diviſione, quatenus per rei naturam licet, ſectanda eſt membrorum paucitas.*

Diviſionem commendat membrorum paucitas duobus nominibus; Primò, quia paucitate memoria minùs oneratur; Secundò, quia membrorum dividentium oppoſitio multitudine obſcuratur. Membra enim dividentia ita oppoſita eſſe debent ut totum dividendum exhauriant: atqui clariſſima eſt diſiunctionis neceſſitas cum unum uni duntaxat opponitur. Cur enim tam multi de perfectione denarii Categoriarum numeri dubitarunt, at de entis in ſubſtantiam & accidens diviſione nulli? aut cur de diviſione qualitatis in quatuor ſpecies magis diſputatur, quàm de diviſione quantitatis in diſcretam & continuam, niſi quia membrorum dividentium paucitas diſiunctionis neceſſitatem oſtendit, cui multitudo, ſicut velum, obtenditur? Ergo διχοτομία inter diviſiones principatum obtinet, ſicut in numeris binarius primus eſt. Sed vitanda hîc eſt κακοζηλία, id eſt, *prava &*

infelix affectatio paucitatis; nonnunquam enim rei dividendæ natura διχοτομίαν non patitur; atqui non eſt vis inferenda naturæ, ſed ea demùm diviſio optima eſt, quæ ſponte nata, non autem quæſita videatur. Diviſio totius definitionis in partes; & compoſiti in materiam atque formam citra controverſiam bimembris eſſe debet. Diviſio generis in ſpecies membrorum paucitate maximè gaudet, non tamen ſemper fruitur. In diviſione integri duo membra immediatè totum dividentia ſolicitè quærere ſtultitiæ eſt.

CAPVT V.

De ſcientiarum & artium conſtitutione per diviſionem.

I. *Non ſatis eſt diviſionis formandę regulas tradidiſſe niſi & formatę uſum tradamus. Diviſionis uſus geminus eſt: primus, ne qua pars totius intacta relinquatur: ſecundus, ut ſuo quæque ordine tractetur.*

Diviſionis utilitates in univerſum duæ ſunt una in definitionis, altera in univerſæ ſcientiæ vel artis cuiuſlibet conſtitutione apparet: quæ

rum hæc illi præferenda eſt, ſi verum eſt, quod vulgò dicitur ex Ariſtotele, *Bonum quo communius, eo melius.* In definitione colligendâ utilis eſt cùm ut nulla eſſentialis differentia omittatur, tum ut partes definitionis iam inventæ convenienter inter ſe diſponantur, teſte Ariſt. 2. poſt. Analyt. c. 13. t. 73. 74. & 75. Exempli gratia, diviſione ſubſtantiæ ad hominem deductâ per omnia genera ſubalterna, habemus omnia attributa eſſentialia, ſive quæ de homine prædicantur ἐν τῷ τί ἐστι: quæ tum demùm recto ordine in definitione collocantur, cum ab ordine diviſionis ne latum quidem unguem diſceditur. Iiſdem planè modis diviſio inſeruit ſcientiarum & artium integrarum conſtitutioni: diviſione enim tractandorum cavetur ne quid intactum prætereatur, & ne quid alieno loco tractetur. Quanta autem ſit hæc utilitas abundè patet conſiderantibus ordinem eſſe ſcientiæ cuiuſque & artis animam, & vinculum quo præcepta præceptis, ſicut in catena annuli, connectuntur. Ordinis laudes vide apud Fab. Quintil. inſtit. orat. lib. 7. c. 1. unde hæc iuvabit deſcripſiſſe: *Neq; enim, quanquam fuſis omnibus membris, ſtatua ſit, niſi collocetur: &, ſi quam in corporibus noſtris aliorumve animalium partem permutes, atque transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium ſit tamen. Et artus etiam leviter loco moti, perdunt quo viguerunt uſum: & turbati exercitus ſibi ipſi ſunt impedimento. Nec mihi videntur errare qui ipſam rerum naturam ſtare ordine putant, quo confuſo peritura ſint omnia. Sic orator carens hac virtute tumultuetur neceſſe eſt, & ſine rectore fluitet, &c.* Sic Ariſt. 8. Phyſ. c. 2. t. 15.

Fatetur

fatetur *in natura nihil eſſe inordinatum*, & pueri norunt rerum univerſitatem κόσμον à pulchritudine & ordine decente appellatum eſſe. Atque ego quidem hominē microcoſmum dici exiſtimo vel maximè quia intellectus non ſolùm τῷ πάντα δέχεσθαι γίνεται πῶς πάντα, id eſt, *omnia capiendo fit quodammodo omnia*, ut in 3. de Anima ſcriptum eſt; ſed etiam quia ordinis amator & admirator eſt, ut notatum eſt ab Ariſt. 19. parte problematum 38. problemate, καὶ τῷ πάντα διακοσμεῖν κόσμος γίνεται, id eſt, & univerſa ordinando fit κόσμος.

2. *Primus eius uſus in conſtitutione omniū diſciplinarum iuxta illuſtris eſt: Secundus in conſtitutione practicarum obſcurior; quia in practicis non conſideratur univerſale in ſpecies diducendum, ſed finis aliquis per media comparandus.*

Prima pars huius aphoriſmi non eget confirmatione: ſi enim in tractandorum diviſione nihil omiſſum fuerit, nihil utique in tractatione ad diviſionem examinata deſiderari poterit. Secunda pars paucis ita declarari poteſt: in diſciplina theoretica, qualis eſt Phyſica, ſubiectum conſiderationis eſt univerſale in prædicando, quod perpetua diviſione tractandum eſt donec ad ſpecies infimas ventum fuerit: Sed in diſciplina practica ſubiectū explicationis eſt modus obtinendi finē animo præ-

conceptum, & decretum: (vide Prolegomena c. 3. in explicatione definitionis Logicæ) atqui finis de mediis ad ipſum conferentibus non prædicatur tanquam genus de ſpeciebus.

3. *Poteſt tamen inter finem diſciplinæ practicæ & genus ſubiectum theoreticæ obſervari hæc analogia: ut genus reſpectu ſpecierum eſt univerſale in prædicando, ita finis reſpectu mediorum eſt univerſale in cauſando, ſive eſt cauſa univerſorum. Atque hinc eſt quod in diſciplinis practicis ordo à fine ad media, quem vulgò analyticum ſive reſolutivum appellant, ordini à genere ad ſpecies in theoreticis ſervando analogus ſit.*

Duæ ordinis ſpecies vulgò a Peripateticis ſtatuuntur: Syntheticus ſive compoſitivus, & Analyticus ſive reſolutivus. Compoſitivus eſt qui ordini naturæ generantis congruit; nimirum quo à ſimplicioribus ad minùs ſimplicia, & à principiis ad principiata proceditur. Atque hunc in diſciplinis theoreticis obſervandum eſſe vix ambigi poteſt, cum in illis nihil quæramus præter notitiam

rerum prout à ſuis cauſis dependent. Reſolutivus eſt qui à notione finis optati in compoſitione poſtremi incipiens in media ad ipſum conferentia deſinit. Atque hic ordo diſciplinis practicis magna ex parte convenit. Vtrumque ordinem diviſione ſtabiliri manifeſtum eſt, ſiquidem ab univerſalibus, aut in prædicando, aut in cauſando, ad minùs univerſalia per diviſionem progredi oporteat.

Hactenus de definitione & diviſione, ſive de thematum ſimplicium tractandorum inſtrumentis.

INSTITVTIONIS LOGICÆ

LIBER QVARTVS,

DE

INSTRVMENTO TRACTANDI THEMA COMPLEXVM,

SIVE,

De ſyllogiſmo.

CAPVT I.

Quid ſit ſyllogiſmus, & ex quibus partibus conſtet.

1. *Thema complexum unico inſtrumento tractandum eſt, cui nomen eſt Argumentationi vel ſyllogiſmo. Hoc li-*

Google

bro de ipſo ſyllogiſmo, altero ſequente de eius effectis præcipiemus, quibus oſtenſis inſtitutio Logica omnibus ſuis partibus abſoluta videbitur. Et ut conſtet argumentationem cum ſyllogiſmo rem eandem eſſe, primò quid ſit ſyllogiſmus, & quomodo formandus docebimus; deinde omnes argumentationum formulas ad ſyllogiſmum reducemus. Syllogiſmus eſt propoſitionum complexus in quo poſitis quibuſdam aliquid à poſitis diverſum neceſſariò ſequitur propter poſita.

HOc libro complecti decrevimus ſummam librorum Ariſtotelis quibus inſcriptio eſt *Prioribus Analyticis*, quos ipſe Ariſtoteles, 1. Poſt. Analyt. c. 3. & eiuſdem libri c. 11. t. 85 & alibi vocat libros de ſyllogiſmo. *Syllogiſmus eſt, &c.)* Ab Ariſt. 1. Prior. Analyt. c. 1. definitur λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι. Eodemque modo in 1. Topic. c. 1. niſi quòd pro τῷ ταῦτα εἶναι, id eſt, *quoniam ea ſunt*, ponit διὰ τῶν κειμένων, id eſt, *propter ea quæ poſita ſunt*. Quam definitionem A. Gellius lib. 15. c. 26. ita interpretatur: *Syllogiſmus eſt oratio in qua*

conſenſis quibuſdam (alii legunt *confeſſis) & conceſſis, aliud quid, quam quæ conceſſa ſunt, per ea quæ conceſſa ſunt neceſſariò cõficitur.* Syllogiſmi interpretatio eſt oratio, at ipſe ſyllogiſmus eſt ſermo mentis propoſitiones certo modo connectentis, ut id de quo agitur conficiatur. *In quo poſitis quibuſdam, &c.)* *Poſitis* id eſt, confeſſis & conceſſis, ut plerique omnes interpretantur cum A. Gellio: vel, diſpoſitis & certo ordine collocatis, ut aliis magis placet. *Quibuſdam*, nempe, propoſitionibus duabus. *Aliquid à poſitis diverſum)* id eſt, concluſio ſive complexio, quæ debet eſſe propoſitio à duabus præmiſſis diverſa, ne detur ταυτολογία. Excluduntur hoc modo è ſyllogiſmi definitione, & converſiones, & æquipollentiæ, & ſubalternationes Enunciationum, quæ vulgò appellantur *conſequutiones ſententiarum*: nam converſa à convertenda, & ſubalternata à ſubalternante non ſunt penitus diverſæ, cũ ex iiſdem terminis conſtent; æquipollentes autem non eſſe diverſas ex earum definitione patet: at concluſio ſyllogiſmi à præmiſſis per quas efficitur diverſa eſt, quia cum alterutra earum unum duntaxat terminum communem habet, ut infrà patebit. *Neceſſariò ſequitur.)* Sequelæ neceſſitas eſt quaſi anima ſyllogiſmi, & ut homo mortuus non eſt homo; ita niſi concluſio neceſſariò & inexpugnabiliter ſequatur, ſi ambæ præmiſſæ conceſſę ſint, non tamen ſit ſyllogiſmus, ſed paralogiſmus. *Propter poſita.)* id eſt, ita ut ad ſequelæ neceſſitatem nihil foris & extra ſyllogiſmum quærendum ſit, ſive, ita ut concluſio dependeat à præmiſſis, non autem à termino uno aut pluribus quàm qui in

propoſitionibus præmiſſis comprehenſi ſunt. Exempli gratia, hic enunciationum complexus ſyllogiſmus appellatur, *Quicquid nutritur vivit, Atqui omnis planta nutritur, Ergo omnis planta vivit*: Si enim duę priores concedantur, tertia inevitabiliter efficietur, nullo termino accerſito in auxilium eorum qui in duabus propoſitionibus præmiſſis diſpoſiti ſunt. Cæterùm, nomen *ſyllogiſmus*, ex Arithmetica tranſlatum eſt, ſive ex logiſtica ad Logicam: Primariò enim ſignificat computationem qua ex additione rationum duarum aut plurium ſumma aliqua colligitur.

2. *In ſyllogiſmo ſpectanda eſt primùm materia, deinde forma. Materia ſyllogiſmi alia eſt remota, alia propinqua. Materia ſimplex ſive remota ſunt duæ partes quæſtionis, (quarum illa quæ ſubiicitur minus extremum, quæ autem attribuitur maius extremum appellatur) & argumentum aſſumptum forinſecus, (quod & medium indigitatur.)*

Exempli gratia, ſi *omnem plantam vivere* oſtendendum eſſet, cum in quæſtione duo ſint termini de quorum connexione agitur, nempe *planta* & *vivere*, foris quærendum eſſet argumentum con-

nectionis, ut *nutriri*, cujus interventu quęſtio finiatur, eiuſque partes coniungantur. Partes quæſtionis vocantur *extrema*, quia ad earum convenientiam aut pugnam oſtendendam opus eſt medio; haud aliter quàm inter homines dubiæ erga ſe invicem voluntatis arbitro opus eſt vel mediatore ad negotium tranſigendum. Subiectum quęſtionis vocatur *minus extremum*, & attributum *maius extremum*, quia quod in prædicatione naturali attribuitur illud ſubiecto aut maius eſt, aut ſaltem ęquale: maius, id eſt, univerſalius vel cōmunius. Ab Ariſt. maius extremum vocatur non tantùm τὸ μεῖζον ἄκρον ſed etiam τὸ πρῶτον ἄκρον, & quandoq; ſimpliciter τὸ ἄκρον, ut 1. prior. Anal. c. 24. Et minus extremum τὸ ἔλαττον ἄκρον, & τὸ ἔσχατον ἄκρον, & quandoque ſimpliciter τὸ ...ρίον, ut loco iam laudato. Tertius in ſyllogiſmo terminus *argumentum* à vi arguendi appellatur: & *Medium* ab officio dicitur: nam in ſola prima figura diſpoſitione medium eſt, ut infrà patebit. Argumentum ſive medium debet eſſe unum: quod enim unit id ipſum unum eſſe oportet: & unâ menſurâ duorum æqualitatem vel inæqualitatem experimur: & ſi inter partes arbitro opus eſt hunc unum eſſe oportet, ſi non corpore, at certè voluntate.

3. *Materia complexa & proxima ſyllogiſmi, ſunt tres propoſitiones, quarum unaquæque communione alicuius termini cum reliquis duabus fruitur. Duę*

inferunt & antecedunt, tertia infertur & ſequitur: prima ἁπλῶς propoſitio, vel Maior, quia in ſyllogiſmis ſimplicibus ex medio & maiori extremo; ſecunda, aſſumptio, vel Minor, quia ex medio & minori extremo: tertia Concluſio vel complexio, quia in omni ſyllogiſmorum genere ex partibus quæſtionis conſtat.

Non deſunt quibus concluſio videtur non eſſe pars ſyllogiſmi, ſed eius effectum: ego verò concluſionem ſyllogiſmi non modo partem eſſe, ſed & præcipuam ſemper exiſtimavi. Tres ex quibus ſyllogiſmus coaleſcit propoſitiones niſi ſinguli inter ſe termini alicuius communione iunctę eſſent, tertia ex prioribus non concluderetur. Ergo propoſitiones ita inter ſe aptatæ ſunt, ut prima cum ſecunda medium, cum tertia maius extremum ſive attributum quæſtionis; & ſecunda cum tertia minus extremum, ſive ſubiectum quęſtionis commune habeat. Medium enim primò applicatur attributo, deinde ſubiecto quæſtionis; haud aliter quàm de duorum corporum æqualitate dubitantes menſuram primo uni deinde alteri applicant, ac demum de eorum inter ſe æqualitate vel inæqualitate pronunciant. Repetatur Exemplum ſupra propoſitum: quæſtio erat, *An plantæ vivant*: aſſumitur medium *Nutriri*, quod primò coniun-

gitur cum *vivere*, hoc modo, *Quicquid nutrimentum capit vivit*: deinde cum *Plantis*, hoc modo, *Atqui omnis planta nutrimentum capit*: unde ſequitur *Omnem plantam vivere. In ſyllogiſmis ſimplicibus.*] Hæc reſtrictio otioſa non eſt: quippe in ſyllogiſmis Hypotheticis prima propoſitio continet medium cum utroque extremo, & ſecunda quandoque neutrum habet extremum, ſed conſtat ex ſolo medio, quemadmodum ſuo loco videbimus. Itaque in ſyllogiſmis hypotheticis duæ præmiſſæ minùs aptè appellantur maior & minor. Concluſio & quæſtio non differunt re, ſed ratione: nam quæ ante ſyllogiſmum quæſtio, eadem in ſyllogiſmo concluſio dicitur: Exempli gratia, hæc propoſitio, *omnis planta vivit*, ante medii aſſumptionem & applicationem *quæſtio* eſt, eadem ex medii cũ utroque extremo cõiunctione illata *concluſio* appellari incipit.

4. *Forma ſyllogiſmi eſt ſequelæ neceſſitas, quæ ſita eſt in figura & modo. Figura eſt legitima diſpoſitio medij cum partibus quæſtionis. Modus eſt legitima propoſitionum ſecundùm Quantitatem & Qualitatem determinatio.*

Sicut materia ſyllogiſmi alia eſt ſimplex, alia complexa; ita forma ſyllogiſmi ſpectat partim materiam ſimplicem, partim complexam. Figura eſt diſpoſitio materiæ ſimplicis ſive terminorum: mo-

dus eſt determinatio & conſtitutio materiæ complexæ ſive propoſitionum. Figura nomen eſt è Geometria tranſlatum propter analogiam: Vt enim ſe habet punctum ad lineam, & linea ad figuram in Geometricis; ita terminus ad propoſitionem, & propoſitio ad id quod figuram vocamus in Logicis, niſi quod punctum non ſit pars lineæ etſi terminus ſit pars propoſitionis. Et quemadmodũ in Geometria ad conſtitutionẽ figuræ rectilineæ, ſive ut ſpatium aliquod rectis lineis undique claudatur, tribus ad minimum rectis lineis opus eſt, unde triangulum figurarum rectilinearum prima eſt & ſimpliciſſima, & axioma eſt Geometricum *Duæ lineæ rectæ ſpatium non comprehendunt*: ita in ſyllogiſmo tribus opus eſt terminis, & totidem propoſitionibus. Modus dicitur legitima determinatio quantitatis propoſitionum, quia in ſyllogiſmo non ſunt admittendę propoſitiones ſine certo delectu quantitatis: Et quemadmodum in miſcendis pharmacis reſpiciendum eſt non tantùm ad quantitatem ſive pondus, verùm etiam ad qualitatem & vires miſcendorum; ita ad quæſtionem certæ quantitatis & qualitatis concludendam reſpiciendum eſt non tantùm ad quantitatem, verùm etiam ad qualitatem propoſitionum præmittendarum, nempe ad affirmationẽ & negationem. In præſentia enim ad veritatem & falſitatem præmiſſarum, licet & hæ propoſitionũ qualitates ſint, reſpiciendum non eſt.

CAPVT II.

De tribus ſyllogiſmorum figuris, & modis in earum unaquaque benè concludendi.

1. *Figuræ ſyllogiſmorum tres ſunt naturæ cōſentaneæ: Prima eſt in qua medium maiori extremo ſubiicitur, & minori attribuitur: Secunda eſt in qua medium utrique extremo attribuitur: Tertia eſt in qua medium utrique extremo ſubiicitur. Quarta, in qua medium maiori extremo attribuitur & minori ſubiicitur, cum naturę ordine pugnat.*

NVmerus figurarum ex definitione figurę colligitur: cum enim figura ſyllogiſmi nihil aliud ſit quàm diſpoſitio argumenti ſive medii cũ partibus quæſtionis ſive extremis; quotuplex eſſe poteſt medii cum extremis diſpoſitio tot ſyllogiſmorum figurę ſint neceſſe eſt: Atqui quadruplex omnino poteſt eſſe medii cum extremis diſpoſitio.

Primæ diſpoſitionis exemplum hoc eſto.

Quicquid creſcit vivit,
Atqui omnis planta creſcit,
Ergo omnis planta vivit.

quæſtio enim eſt an omnis planta vivat: medium népe *creſcere* ſubiicitur maiori extremo ſive attributo quæſtionis quod eſt *vivere*, & prædicatur de minori extremo quod eſt *planta:* hic ergo ſyllogiſmus eſt primæ figuræ. Exemplum ſecundæ diſpoſitionis hoc eſto,

Omne animal ſentit,
Atqui plantæ non ſentiunt,
Ergo plantæ non ſunt animalia:

medium enim nempe *ſentire* attribuitur utrique parti quæſtionis, ſed alteri affirmativè alteri negativè. Exemplum tertiæ diſpoſitionis,

Nulla planta eſt animal
Atqui omnis planta vivit
Ergo non omne quod vivit eſt animal.

medium enim, nempe *planta*, utrique extremo ſubiicitur. Exemplum quartæ diſpoſitionis,

Omnis homo eſt animal
Atqui omne animal eſt corpus
Ergo aliquod corpus eſt homo:

medium enim, nempe *animal* maiori extremo ſive attributo quæſtionis quod eſt *homo* attribuitur, & ſubiecto quæſtionis ſive minori extremo quod eſt *corpus* ſubiicitur. Sed hæc diſpoſitio cũ naturæ ordine pugnat. non enim poteſt idem ſecundũ naturã eſſe ſuperius ſuperiori & inferius inferiori; vel maius maiori; & tamen minus minori: imò contrà natura dictat, *quod eſt maius maiori eſſe maius mino-*

ri, ſive *quod continet rem cōtinentem, continere etiam rem in ea contentam*: atqui in hac diſpoſitione medium ſupra maius extremum, & tamen ſub minori extremo collocatur. Quare ex duabus in illo ſyllogiſmo præmiſſis nemo non inferret naturâ duce hanc potius concluſionem *Ergo omnis homo eſt corpus*, quàm illam, *Ergo aliquod corpus eſt homo*. Itaque Ariſt. deſpectâ quartâ figurâ tres ſolùm priores nobis commendavit. Neque tamē propterea credendum eſt nullam eſſe in quarta figura concludendi vim aut ſequelæ neceſſitatem: Concludit enim neceſſariò & infallibiliter, ſed obliquè & indirectè, ut patet ex reductione ad primam figuram: nam ſuperioris ſyllogiſmi propoſitionibus tranſpoſitis concluditur in prima figura propoſitio convertenda, & in quarta concluditur converſa: quippe in prima figura ſic colligimus,

Omne animal eſt corpus
Atqui omnis homo eſt animal
Ergo omnis homo eſt corpus.

Ex hac autem concluſione per regulas converſionis c. 5 lib. 2. traditas ſequitur, *aliquod corpus eſt homo.*

2. *In unaquaque figura modi alii ſunt fallaces, alii certò & infallibiliter cōcludentes: in quorum nominibus obſervādæ ſunt quatuor vocales. A, E, I, O. de quarum ſignificationibus tritiſſimi ſunt verſiculi:*

Aſſerit A, negat E, verùm generaliter ambæ:
Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambo.

Nomen cuiuſque modi triſſyllabum eſt,&cuiq; ſyllabę ſua ineſt vocalis ad denotandam quantitatem & qualitatem trium in ſyllogiſmo propoſitionum. Vocalis A, deſignat univerſalem affirmantem, quia ſicut A vocalium prima eſt, ita univerſalis affirmans præſtantiſſima eſt propoſitionum: ſic vocalis E, deſignat univerſalem negantem, quia univerſalis negans nobilitate proxima eſt univerſali affirmanti: I. deſignat particularem affirmantē nempe tertia vocalis tertiam propoſitionum dignitatem: Denique O particularē negantem, quarta vocalis indigniſſimam propoſitionum ſortem.

Sed fortaſſè imperitus aliquis demirabitur propoſitionibus indefinitis & ſingularibus non eſſe tributa peculiaria ſymbola: cui reſpondeo; propoſitiones indefinitas in ſyllogiſmo pro particularibus habendas eſſe: Singulares item univerſalibus aut particularibus admixtas cenſendas eſſe particulares. Quod autem faciendum ſit iudicium de ſingularibus cùm ſolæ in ſyllogiſmo proponuntur ad inferendam concluſionem infrà dicemus in tractatu de *Expoſitione* ſive ſyllogiſmo *expoſitorio*.

3. *Primæ figuræ quatuor ſunt modi rectè concludentes: Barbara, Celarent, Darii, Ferio. Barbara eſt modus primę figurę conſtans ex omnibus univerſaliter affirmantibus: Celarent ex omnibus univerſalibus, ſed maiore & concluſione negantibus, minore autem affirmante: Atque eadem de-*

finiendi ratio in cæteris tum primæ figuræ, tùm ſecundæ & tertiæ modis ineunda eſt.

Cuiuſque figuræ poſſunt eſſe modi 16. vel enim *Maior* eſt univerſalis affirmans, vel univerſalis negans, vel particularis affirmans, vel particularis negans: & unicuique *Maiori* poteſt addi *Minor* vel univerſalis affirmans, uel univerſalis negans, vel particularis affirmãs, vel particularis negans. Quadruplex ergo poteſt eſſe *Maior,* & cuilibet *Maiori* quadruplex poteſt adiici *Minor,* quatuor autem quadruplicitates conſtituunt 16. Sed ex tot in unaquaque figura modis multò plures apti ſunt decipere, quàm docere: nam in prima figura quatuor tantùm ſunt modi rectè concludentes. *Rectè concludere* eſt non tantùm neceſſariò & infallibiliter concludere, ſed etiam directè & immediatè, non autem obliquè & mediante converſione concluſionis primariȩ: Exempli gratia, hic modus concludendi in prima figura, non tantùm certus eſt & inexpugnabilis, verùm etiam directus,

Omne animal eſt mortale,
Atqui omnis homo eſt animal,
Ergo omnis homo eſt mortalis.

Sed hic licet certò & inexpugnabiliter concludat, alter tamen non directè & proximè,

Omne animal eſt mortale,
Atqui omnis homo eſt animal,
Ergo aliquod mortale eſt homo:

Nam hæc concluſio non efficitur ex his præmiſſis niſi mediatè & beneficio converſionis, quia nimirum

Digitized by Google

mirum hęc *omnis homo eſt mortalis*, in hanc *aliquod mortale eſt homo* converti poteſt, quemadmodum ſupra diximus de quarta figura. In prima figura quinque ſunt modi obliquè & indirectè concludentes, quorum nomina hæc ſunt, *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapeſmo*, *Friſeſom*. Exemplum quod iam attulimus ſtructum eſt in *Baralip.* Cæterorum exemplis paginas implere nihil neceſſe eſt: eorum enim uſus adoleſcentibus interdicendus eſt, haud aliter quàm quartæ figuræ. Nunc ergo exempla modorum rectè concludentium ſubiicere contenti ſimus.

BAR *Omne animal ſentit:*
BA *Atqui omnis homo eſt animal:*
RA. *Ergo omnis homo ſentit.*

CE *Nullum animal eſt immortale,*
LA *Atqui omnis homo eſt animal:*
RENT. *Ergo nullus homo eſt immortalis.*

DA *Omne animal ſentit:*
RI *Atqui aliquod vivens eſt animal,*
I. *Ergo aliquod vivens ſentit.*

FE *Nulla planta ſentit:*
RI *Atqui aliquod vivens eſt planta:*
O. *Ergo aliquod vivens non ſentit.*

Sunt qui hos modos Græcè his appellationibus inſigniant, Γράμματα, Ἔγραψε, Γραφίδι, Τεχνικός.

4. *Secundæ figuræ quatuor etiam ſunt modi rectè concludentes, his appellatio-*

O.

nibus inſigniti: Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.

Eorum exempla hæc ſunto:

CES *Nullum animal eſt immortale:*
A *Atqui omnis Angelus eſt immortalis:*
RE. *Ergo Nullus Angelus eſt animal.*

CAM *Omnis Angelus eſt immortalis:*
ES *Atqui nullum animal eſt immortale:*
TRES. *Ergo nullum animal eſt Angelus.*

FES *Nullum animal eſt immortale:*
TI *Atqui Aliqua ſubſtantia intelligens eſt immortalis:*
NO. *Ergo aliqua ſubſtantia intelligens non eſt animal.*

BA *Omne animal ſentit:*
RO *Atqui aliquod vivens non ſentit:*
CO. *Ergo aliquod vivens non eſt animal.*

Hos modos Græcè appellandos cenſent, Ἔγραψε, Κάτεχε, Μέτριον, Ἄχολον.

5. *Tertiæ figuræ modi recte concludentes ſunt ſex: quos appellant, Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

Exempla ſingulorum hæc ſunto:

DA *Omne bonum eſt honeſtum,*
RAP *Atqui omne bonum eſt utile,*
TI. *Ergo aliquod utile eſt honeſtum.*

FE *Nullum honeſtum eſt averſandum,*
LAP *Atqui omne honeſtum eſt difficile,*
TON. *Ergo aliquod difficile non eſt averſandum.*

DIS *Aliquod honeſtum voluptatem parit,*
AM *Atqui omne honeſtum eſt ſectandum,*
IS. *Ergo aliquod ſectandũ voluptatem parit.*

DA *Omne honeſtum eſt ſectandum,*
TIS *Atqui aliquod honeſtum eſt voluptificũ.*
I. *Ergo aliquod voluptificum eſt ſectandum.*

BOC *Aliquod vivens non eſt animal,*
AR *Atqui omne vivens eſt animatum,*
DO. *Ergo aliquod animatum non eſt animal.*

FE *Nullum animal eſt immortale,*
RIS *Atqui aliquod animal eſt intelligens,*
ON. *Ergo aliquod intelligẽs non eſt immortale.*

Atque hos modos Græcè vocant, Ἅπασι, Σθεναρῶς, Ἰσάκις, Ἀσπίδι, Ὅμαλος, Φέριστος.

6. *Modis trium figurarum enumeratis, adiice Syllogiſmos ex duabus præmiſſis ſingularibus, in prima figura & ſecunda concluſionem ſingularem, in tertia particularem colligentes: quos*

Ariſtoteles ſyllogiſmorum nomine non dignatur, quia rationis uſus proprié non ſpectatur in ſingularibus, utpote quę ſenſibus obnoxia ſunt, ſed in univerſalibus, ad quæ ſenſus adſcendere non poſſunt.

P. Ramus hos vocat *ſyllogiſmos proprios*, Peripatetici *Expoſitorios* & *ſenſiles*, ipſe Ariſtoteles ἐκθέσεις, id eſt, *expoſitiones* vel *exhibitiones*, quia exponendæ ſequelæ neceſſitati in tertia figura inſerviunt, ut c. 4. dicemus. Eorum Exempla in prima figura hæc ſunt;

Ariſtoteles fuit ſapiens,
Atqui ſcriptor huius libri fuit Ariſtoteles,
Ergò ſcriptor huius libri fuit ſapiens.

Ariſtoteles non fuit pauper,
Atqui ſcriptor huius libri fuit Ariſtoteles,
Ergò ſcriptor huius libri non fuit pauper.

In ſecunda figura,

Ariſtoteles fuit Alexandri *præceptor;*
A*tqui ſcriptor huius libri non fuit* Alexandri *præceptor;*
Ergò ſcriptor huius libri non fuit Ariſtoteles.

In tertia figura;

Epicurus fuit impius,
Atqui Epicurus fuit Philoſophus,
Ergò aliquis Philoſophus fuit impius.

Socrates non fuit impius,

Atqui Socrates fuit Philoſophus,
Ergò aliquis Philoſophus non fuit impius.

Sed hoc rationum genus in prima figura minùs naturale eſt, quia ſingulare naturaliter non prædicatur, at in prima figura effici non poteſt ſyllogiſmus ex ſingularibus, niſi ſingulare in minore prædicetur.

CAPVT III.

Canones formæ ſyllogiſticæ.

1. *Canones ſyllogiſmorum rectè concludentium alii tribus figuris communes ſunt, alii duabus tantùm, alii denique uni earum proprii. Canones tribus figuris communes ſunt ſeptem: quorum primus eſt: Ex veris nihil ſequitur niſi verum, etſi ex falſis quandoque ſequatur falſum, quandoque autem verum.*

IDeſt, Si ambæ præmiſſæ manifeſtè veræ fuerint, & concluſio manifeſtè falſa, proculdubiò eſt vitium in forma. Indicium ergò eſt formæ vitioſæ, quòd in ea ex propoſitionibus veris concluſio falſa colligi poſſit. Exempli gratia, hunc ſyllo-

giſmum ſcio non eſſe ſyllogiſmum, ſed paralogiſmum,

Omnis homo eſt riſibilis,
Atqui omne animal rationale eſt riſibile,
Ergo omne animal rationale eſt homo:

quia formâ eâdem concludi poteſt falſum ex veris, ut

Omnis homo eſt animal,
Atqui omnis equus eſt animal,
Ergo omnis equus eſt homo.

Formæ tamen ſyllogiſticæ bonitas non vetat præmiſſas falſas eſſe, & concluſionem veram, ut,

Omne animal eſt homo,
Atqui omnis Philoſophus eſt animal,
Ergo omnis Philoſopus eſt homo.

Hîc enim maior apertè falſa eſt, concluſio tamen verà. Cui regulæ ſubordinatur & altera hæc, *Ex neceſſariis nihil ſequitur niſi neceſſarium, Etſi ex contingentibus quandoque concludatur contingens, quandoque autem neceſſarium.*

2. *Secundus eſt: In ſyllogiſmo non debent eſſe termini plures, nec pauciores tribus.*

Sæpe contingit ut in Syllogiſmo tres tantùm termini eſſe videantur, cum re verâ ſint quatuor; ut propter homonymiam vel ſignificationis mutationem quamcunque, vel propter mutationem caſuum in nominibus, aut temporum in verbis, aut abſtractorum in concreta, aut cōcretorum in

abſtracta. Exempli gratia, hic ſyllogiſmus quatuor continet terminos propter mutationem caſuum,

Omnis homo eſt animal,
Atqui manus eſt hominis,
Ergo manus eſt animal.

homo enim & *hominis* ſunt duo termini. At ſi mutatio caſus facta in minore fiat etiam in concluſione non cenſebitur paralogiſmus: ut,

Omnis homo eſt animal,
Atqui manus eſt hominis,
Ergo manus eſt animalis.

Quia enim mutatio caſus in minore facta compenſatur in concluſione, perinde eſt ac ſi nulla contigiſſet caſus mutatio. Sub hoc canone comprehenditur & alter vulgò ſic aſſignari ſolitus, *Nihil debet eſſe in concluſione, quod non erat in præmiſſis*: quippe ſi quid in concluſione eſſet quod in neutra præmiſſarum, quatuor eſſent in ſyllogiſmo termini.

3. *Tertius: Medium non debet ingredi concluſionem.*

Quippe ſinguli termini bis in ſyllogiſmo collocandi ſunt. Maius extremum ſemel in maiore propoſitione, iterumque in concluſione: Minus extremum ſemel in propoſitione minore, iterumque in concluſione: Medium ſemel in maiore iterumque in minore: ac proinde fieri nequit ut medium ſit in concluſione. An medium integrum ponatur in concluſione cæcus eſt qui non queat diſcernere: ſolum ergò periculum eſt, ne particu-

la aliqua medii à medio avulſa inſeratur concluſioni.

4. *Quartus: In concluſione non eſt mutandus ſitus extremorum qui erat in præmiſſis.*

Id eſt, Quod in maiore propoſitione cum medio coniungitur debet eſſe attributum in concluſione, & quod in aſſumptione collocatur debet eſſe ſubiectum in concluſione: Quare hic vitioſus eſt ſyllogiſmus,

Omne animal eſt corpus,
Atqui omnis homo eſt animal,
Ergo omne corpus eſt homo.

Quippe extremum quod erat in aſſumptione attribuitur in concluſione, cum tamen in ea ſubiici debuerit. Poteſt quidem ex illis præmiſſis colligi hæc concluſio, *Ergo aliquod corpus eſt homo*; ſed indirectè & beneficio converſionis, ut ſuperiori capite diximus. Cum enim ſola particularis negans converſionem reſpuat, fatendum eſt in quolibet ſyllogiſmo cuius recta & immediata concluſio non eſt particularis negans, poſſe obliquè & ſecundariò inferri & alteram concluſionem factam ex legitima primæ converſione: Sed nos iam tradimus Canones ſyllogiſmorum rectè concludentium.

5. *Quintus: Ex duabus negantibus nihil rectè concluditur.*

In omni ergo ſyllogiſmo vel utraque, vel ſaltem

altera præmiſſarum debet eſſe affirmans. Sed cavendum eſt ne propoſitiones infinitas confundamus cum negantibus: Hic enim Syllogiſmus,

Quod non ſentit non eſt animal,
Atqui planta non ſentit,
Ergo planta non eſt animal,

hic, inquam, Syllogiſmus rectè concludit, & minorem habet affirmantem attributi infiniti, licet videatur eſſe negans: particula enim, *Non*, iuncta cum *Sentit*, in maiore non faciebat negationem, ſed tantummodò indicabat medium eſſe infinitum: atqui in aſſumptione eandem exercet vim quam in ſubiecto maioris exercebat: exponenda igitur eſt affirmativè, hoc pacto, *Atqui planta eſt non ſentiens.*

6. *Sextus: Ex duabus particularibus nihil rectè concluditur.*

Et tamen ex duabus ſingularibus inferri poteſt concluſio ſingularis vel particularis, ut ſuprà diximus. Quæ huius diſcriminis ratio eſt? Reſpondeo, ex duabus particularibus nihil rectè concludi, quia individuum vagum homonymię locum præbet: at in ſingularibus propoſitionibus non eſt tale periculum, cum ſubiecta ſint individua certa & ſignata.

7. *Septimus: Concluſio ſequitur deteriorem præmiſſarum.*

Propoſitio negans affirmante deterior eſt, & par-

ticularis univerſali: quare ſi altera præmiſſarum ſit negans, concluſio quoque erit negans; & ſi altera præmiſſarum ſit particularis, concluſio quoque particularis erit. Propoſitiones enim præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis: quare ſi talis & tanta concluſio colligi poſſet quum altera præmiſſarum negans eſt aut particularis, qualis & quanta colligitur cum ambæ præmiſſæ ſunt univerſales affirmantes, poſſet utique cauſa infirmior effectum producere tale & tantum, quale & quantum à cauſa fortiori produci queat: atqui hoc eſt contra decreta naturæ. Concluſio igitur ſequitur deteriorem præmiſſarum, haud aliter quàm in liberis hærent morbi gentiles & aviti.

8. *Canones duabus tantùm figuris communes duo ſunt. Primus eſt, Ex maiore particulari in prima, vel ſecunda figura, nihil rectè concluditur. Secundus eſt, Ex minore negante in prima, vel tertia figura, nihil rectè concluditur.*

Vterque Canon patet ex enumeratione modorum in tribus figuris rectè concludentium; ſinguli enim primæ & ſecũdæ figuræ modi poſtulant maiorem univerſalem affirmantem, aut negantem, at in tertia figura poteſt eſſe maior vel univerſalis, vel particularis: ſinguli etiam primæ & tertiç figuræ modi minorem poſcũnt affirmantem, at in

ſecunda figura minor quandoque eſt affirmans, quandoque negans. Sed hîc iterum moneo propoſitiones affirmantes attributi infiniti non eſſe confundendas cum negantibus, vide explicationem Canonis quinti communis.

9. *Canones proprii duo ſunt. Vnus ſecundæ figuræ: nempe, Ex duabus affirmantibus in ſecunda figura nihil neceſſariò colligitur. Alter tertiæ figuræ: nempe, Concluſio univerſalis in tertia figura non colligitur.*

Primæ figuræ prærogativa eſt, concluſionem inferre cuiuſlibet quantitatis aut qualitatis; Secunda affirmantem, tertia univerſalem inferre non poteſt. In ſecunda figura ſicut concluſio debet eſſe negans, ita quoque & præmiſſarum altera; in tertia tamen figura ambæ præmiſſæ poſſunt eſſe univerſales, licet concluſio univerſalis eſſe non poſſit, ut patet in *Darapti & Felapton.*

CAPVT IIII.

De perfectione primæ figuræ: deque ſecundæ & tertiæ declaratione per reductionem ad primam, & per

Syllogiſmum Expoſitorium.

1. *Syllogiſmorum rectè concludentium alii perfecti, alii imperfecti dicuntur. Perfecti, qui habent non tantùm ſequelæ neceſſitatem & rectitudinem, ſed etiam eius evidentiam: cuiusmodi ſunt omnes ſyllogiſmi bene concludentes in primâ figura. Imperfecti, qui ſequelæ neceſſitatem habent, ſed non eius evidentiam: cuiuſmodi ſunt omnes ſyllogiſmi bene concludentes in ſecunda & tertia figura ex altera præmiſſarum, aut utraque, univerſali.*

PErfectio ſyllogiſmi alia eſt eſſentialis, ſine qua ſyllogiſmus non eſt ſyllogiſmus: alia eſt accidentalis, quæ poteſt abeſſe ſine ſyllogiſmi interitu. In præſentia loquimur de perfectione ſyllogiſmorum accidentali: perfectio enim eſſentialis tanta eſt in ſecunda & tertia figura, quanta in prima. Eſſentialiter enim perfecti ſunt omnes ſyllogiſmi rectè & neceſſariò concludentes. atqui non maior eſt ſequelæ neceſſitas in prima figura, quàm in ſecunda & tertia. Accidentalis perfectio, qua prima figura ſuperat ſecundam & tertiam, eſt ſequelę

evidentia & perſpicuitas. Syllogiſmi quidem ſenſiles, vel expoſitorii, in ſecunda & tertia figura ſequelæ neceſſitatem tam evidentem & manifeſtam habent, quàm ſyllogiſmi in prima: Sed cum in ſecunda vel tertia figura, aut altera præmiſſarum, aut utraque, univerſalis eſt, ut in decem modis ſuprà enumeratis, deſideratur evidentia illationis.

2. *Prima figura ſequelæ evidentiam habet quia conformis eſt Dicto de omni, & Dicto de nullo; quæ ſunt duo principia evidentiæ ſyllogiſmorum affirmantium, & negantium. Dictum de omni eſt, Quidquid univerſaliter dicitur de prædicato dici etiam poteſt de illius prædicati ſubiecto: & huic dicto conformes ſunt ſyllogiſmi in Barbara & Darii. Dictum de nullo eſt, Quod univerſaliter negatur de prædicato negari etiam poteſt de illius prædicati ſubiecto: & hoc dictum obſervant ſyllogiſmi in Celarent & Ferio.*

Exempli gratia, hic ſyllogiſmus, *Omne animal eſt mortale, Atqui omnis homo eſt animal, Ergo omnis homo eſt mortalis*; non tantùm neceſſariò, ſed

etiam evidenter concludit, quia, *Quod prædicatur de animali, idem prædicari quoque poſſe de omni eo de quo animal prædicatur*, ſive *quod prædicationis ambitu continet animal continere etiam quæcunque ab animali continentur, omninoque in quo comprehenditur totum in eodem contineri & partem*, evidentius eſt quàm ut à quoquam ſeriò & ex animo negari poſſit. Itidem & hic ſyllogiſmus, *Nullum animal eſt immortale, Atqui omnis homo eſt animal, Ergo nullus homo eſt immortalis*, ſequelæ neceſſitatem habet evidentem & conſpicuam, quia evidens eſt, *quod univerſaliter negatur de animali, negari quoque de omni eo de quo prædicatur animal*: haud aliter quàm ſi quis diceret Alexandriam non eſſe in Europa, quia tota Ægyptus, in qua eſt Alexandria, extra Europam eſt. Quæ cùm ita ſint, facile eſt videre cur ea figura prima appellata ſit in qua medium maiori extremo ſubiicitur & minōri attribuitur. Prima enim eſt quatuor nominibus: Primò, quia cæteris perfectior eſt & evidentior. Secundò quia communior eſt; nam per eam concluduntur omnia problematum genera, id eſt univerſalia, particularia, affirmantia, & negantia, quod reliquis duabus conceſſum non eſt, ut ſupra docuimus. Tertiò, quia in ea medium non ſolùm officio, ut in cæteris figuris; ſed etiam τῇ θέσει γίνεται μέσον, ut ait Ariſt. id eſt, *diſpoſitione & loco fit medium*: nam in prima figura maius extremum & argumento & minori extremo attribuitur, adeoq; ſummum eſt, cum in ſyllogiſmo id ſuperius cenſeatur quod attribuitur; minus extremum & maiori extremo & argumento ſubiicitur, adeoque infimum eſt; argu-

mentum maiori extremo ſubiicitur & de minori prædicatur, adeoque diſpoſitione medium eſt: At in ſecunda figura medium licet officium ſuum retineat, quod eſt connectere partes quæſtionis, tamen locum non habet medii, ſed primi vel ſummi, cum utrique extremo attribuatur: ſic in tertia locum habet ultimi vel infimi, quia utrique extremo ſubiicitur: Et, ut Ariſtotelis verbis utar, in ſecunda figura medium τίθεται ἔξω τῶν ἄκρων, πρῶτον δὲ τῇ θέσει: in tertia, τίθεται ἔξω τῶν ἄκρων, ἔσχατον τῇ θέσει. Quartò, quia τῶν σχημάτων ἐπιστημονικὸν μάλιστα τὸ πρῶτόν ἐστιν, id eſt, *figurarum ea maximè eſt ſcientifica quæ prima* dicitur, ut ait Ariſt. 1. poſt. Analyt. c. 14. t. 103. nam in ea ſola demonſtrationes rerum per ſuas cauſas formantur, & in ea ſola propoſitiones fortis præſtantiſſimæ, nempe univerſales affirmantes concluduntur. Hunc tamen figurarum ordinem tam prudenter ab Ariſtotele conſtitutum, & tam firmis nixum rationibus, Petrus Ramus invertere non erubuit, eam appellando primam quæ Ariſtoteli tertia eſt, & tertiam quæ illi prima eſt: quaſi medii diſpoſitio ante aut poſt utrumq; extremum ſimplicior eſſet, quàm cum inter extrema, id eſt ſuâ in ſede, collocatur.

3. *Sequelæ neceſſitas in ſecunda & tertia figura duplici via declaratur: nempe, reductione ad primam figuram, & expoſitione ſenſili. Reductioni inſerviunt conſonantes quæ in Modorum*

nominibus continentur: & primò initiales, quia unuſquiſque ſecundæ aut tertiæ figuræ modus ad eum primæ reducendus eſt cum quo initialem habet eandem: deinde mediæ & finales, non quidem omnes, ſed hæ quatuor, S, P, M, C. S, propoſitionem à vocali antecedente denotatam ſimpliciter convertendam eſſe indicat; P, convertendam per accidens: M, metatheſin vel tranſpoſitionē propoſitionis in locum aſſumptionis neceſſariam eſſe: C, ſyllogiſmum non poſſe transformari in primam figuram niſi deductione ad impoſſibile.

Syllogiſmorum ſecundæ & tertiæ figuræ ad primam reductio uſum habet geminum: unus præcipuus eſt, nempe, ut neceſſitas illationis quæ in ſecunda & tertia non eſt minor, ſed minùs evidens, quàm in prima, demonſtretur & declaretur, quemadmodum in Aphoriſmo iam propoſito diximus: alter ſecundarius eſt, non tamen contemnendus, nempe, ut appareat convenientia & conſenſus omnium figurarum ſyllogiſticarum, & ut ſyllogiſmis ex ſecunda & tertia figura in primam transformandis exercitata diſcentium ingenia aſſueſcant

ſueſcant promptè & expeditè de ſyllogiſmorum quorumlibet forma iudicium facere. Quemadmodum enim Geometræ eſt poſſe non tantùm quadrata, triangula, aliaſque figuras, in dato plano deſcribere, ſed etiam dato quadrato triangulum, aut pentagonum, aliamve figuram æqualem facere, unde eſt quòd tot iam ſæculis à tantis viris circuli quadratio tẽtata ſit; ita Logici eſt poſſe non tantùm ſyllogiſmum in qualibet figura formare, ſed etiam in quolibet ſecundæ aut tertiæ figuræ modo formatum in primam figuram transformare. Conſonantium initialium ſignificatio in modis reducendis facilis eſt: nam propter initialis communionem *Ceſare*, & *Cameſtres* ad *Celarent*: *Darapti Diſamis* & *Datiſi* ad *Darij* reducuntur; &c. Conſonantium ſ, p, m, c, in medio & fine modorum reducendorum τεχνολογία hoc rhythmo exprimi ſolet;

S vult ſimpliciter verti; P, verò per acci;
M, vult tranſponi; C per impoſſibile duci.

Quare ſyllogiſmus in *Ceſare* reducitur ad *Celarent* maiore ſimpliciter conversâ, ut indicat litera S, vocalem maioris propoſitionis indicem ſequẽs: Exempli gratia, ſyllogiſmus in *Ceſare* eſt,

Nulla plãnta ſentit;
Omne animal ſentit;
Ergo nullum animal eſt planta:

Fiet in *Celarent* maiore ſimpliciter conversâ hoc pacto, *nihil quod ſentit eſt planta*, & ſervatâ eâdem minore & concluſione. Itidem *Feſtino* & *Feriſon* ad *Ferio*, & *Datiſi* ad *Darij* reducuntur, minore ſimpliciter conversâ: minore autem con-

verſâ per accidens, ſive in parte, *Darapti* ad *Darij*, & *Felapton* ad *Ferio* revocantur, ut indicat litera P, conſequens vocalem minoris indicem. At *Cameſtres* ad *Celarent*, & *Diſamis* ad *Darij* paulò difficiliùs reducuntur: nam in *Cameſtres* minorem ſimpliciter converti oportet, ut indicat litera S mediæ ſyllabæ vocalem ſequens, & converſam ſedes cum maiore commutare, ut indicat litera M primæ vocali adiuncta, quibus peractis fiet ſyllogiſmus in *Celarent*, cuius concluſio ſimpliciter convertenda eſt ut ſit prorſus eadem cum concluſione quæ in *Cameſtres* erat, ut indicat S finalis in *Cameſtres*. Exempli gratia, hic eſt ſyllogiſmus in *Cameſtres*

Omne animal vivit;
Nullus lapis vivit;
Ergo nullus lapis eſt animal:

Transformatur autem in *Celarent* hoc pacto,

Nullum vivens eſt lapis,
Atqui omne animal vivit,
Ergo nullum animal eſt lapis.

Vnde per converſionem ſimplicem ſequitur, *Nullum lapidem eſſe animal.* Eadem ratione *Diſamis* in *Darij* transformatur, niſi quòd maior ſimpliciter convertenda ſit, non autem minor. *Baroco* & *Bocardo* non poſſunt in primam figuram transformari niſi per ſyllogiſmum deducentem ad impoſſibile, ut indicat litera C.

4. *Syllogiſmus enim quo aliquid probare volumus alius eſt oſtenſivus, alius de-*

ducẽs ad impoſſibile. Oſtenſivus eſt, quo idipſum de quoagitur directè probamus: deducens ad impoſſibile eſt, quo ex contradictione concluſionis probandæ & altera quadam propoſitione manifeſtè verâ, vel ſaltem ab adverſario conceſſâ, colligimus abſurdum vel impoſſibile. Si quis igitur conceſſis præmiſſis in ſyllogiſmo ſecundæ aut tertiæ figurę concluſionem negaret, tamquam quæ ex præmiſſis non neceſſariò conficiatur, is ad abſurdum deduci poſſet ſyllogiſmo in prima figura reformato, ſervatâ unâ præmiſſarum & contradictione concluſionis in alterius locum ſuffectâ. Syllogiſmi in ſecunda figura ſervatur maior, & contradictio concluſionis ſubit in locum minoris: in tertia ſervatur minor, & contradictio concluſionis ſufficitur in locum maioris. Vulgares verſiculi ſunt,

Servat maiorem, variatque ſecunda minorem:
Tertia maiorem variat, ſervatque minorem.

ticularis univerſali: quare ſi altera præmiſſarum ſit negans, concluſio quoque erit negans; & ſi altera præmiſſarum ſit particularis, concluſio quoque particularis erit. Propoſitiones enim præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis: quare ſi talis & tanta concluſio colligi poſſet quum altera præmiſſarum negans eſt aut particularis, qualis & quanta colligitur cum ambæ præmiſſæ ſunt univerſales affirmantes, poſſet utique cauſa infirmior effectum producere tale & tantum, quale & quantum à cauſa fortiori produci queat: atqui hoc eſt contra decreta naturæ. Concluſio igitur ſequitur deteriorem premiſſarum, haud aliter quàm in liberis hærent morbi gentiles & aviti.

8. *Canones duabus tantùm figuris communes duo ſunt. Primus eſt, Ex maiore particulari in prima, vel ſecunda figura, nihil rectè concluditur. Secundus eſt, Ex minore negante in prima, vel tertia figura, nihil rectè concluditur.*

Vterque Canon patet ex enumeratione modorum in tribus figuris rectè concludentium; ſinguli enim primæ & ſecũdæ figuræ modi poſtulant maiorem univerſalem affirmantem, aut negantem, at in tertia figura poteſt eſſe maior vel univerſalis, vel particularis: ſinguli etiam primæ & tertię figuræ modi minorem poſcũnt affirmantem, at in

ſecunda figura minor quandoque eſt affirmans, quandoque negans. Sed hîc iterum moneo propoſitiones affirmantes attributi infiniti non eſſe confundendas cum negantibus, vide explicationem Canonis quinti communis.

9. *Canones proprii duo ſunt. Vnus ſecundæ figuræ: nempe, Ex duabus affirmantibus in ſecunda figura nihil neceſſariò colligitur. Alter tertiæ figuræ: nempe, Concluſio univerſalis in tertia figura non colligitur.*

Primæ figuræ prærogativa eſt, concluſionem inferre cuiuſlibet quantitatis aut qualitatis; Secunda affirmantem, tertia univerſalem inferre non poteſt. In ſecunda figura ſicut concluſio debet eſſe negans, ita quoque & præmiſſarum altera; in tertia tamen figura ambæ præmiſſæ poſſunt eſſe univerſales, licet concluſio univerſalis eſſe non poſſit, ut patet in *Darapti & Felapton.*

CAPVT IIII.

De perfectione primæ figuræ: deque ſecundæ & tertiæ declaratione per reductionem ad primam, & per

Syllogiſmum Expoſitorium.

1. *Syllogiſmorum rectè concludentium alii perfecti, alii imperfecti dicuntur. Perfecti, qui habent non tantùm ſequelæ neceſſitatem & rectitudinem, ſed etiam eius evidentiam: cuiusmodi ſunt omnes ſyllogiſmi bene concludentes in primá figura. Jmperfecti, qui ſequelæ neceſſitatem habent, ſed non eius evidentiam: cuiuſmodi ſunt omnes ſyllogiſmi bene concludentes in ſecunda & tertia figura ex altera præmiſſarum, aut utraque, univerſali.*

PErfectio ſyllogiſmi alia eſt eſſentialis, ſine qua ſyllogiſmus non eſt ſyllogiſmus: alia eſt accidentalis, quæ poteſt abeſſe ſine ſyllogiſmi interitu. In præſentia loquimur de perfectione ſyllogiſmorum accidentali: perfectio enim eſſentialis tanta eſt in ſecunda & tertia figura, quanta in prima. Eſſentialiter enim perfecti ſunt omnes ſyllogiſmi rectè & neceſſariò concludentes. atqui non maior eſt ſequelæ neceſſitas in prima figura, quàm in ſecunda & tertia. Accidentalis perfectio, qua prima figura ſuperat ſecundam & tertiam, eſt ſequelę

evidentia & perſpicuitas. Syllogiſmi quidem ſenſiles, vel expoſitorii, in ſecunda & tertia figura ſequelæ neceſſitatem tam evidentem & manifeſtam habent, quàm ſyllogiſmi in prima: Sed cum in ſecunda vel tertia figura, aut altera præmiſſarum, aut utraque, univerſalis eſt, ut in decem modis ſuprà enumeratis, deſideratur evidentia illationis.

2. *Prima figura ſequelæ evidentiam habet quia conformis eſt Dicto de omni, & Dicto de nullo; quæ ſunt duo principia evidentiæ ſyllogiſmorum affirmantium, & negantium. Dictum de omni eſt, Quidquid univerſaliter dicitur de prædicato dici etiam poteſt de illius prædicati ſubiecto: & huic dicto conformes ſunt ſyllogiſmi in Barbara & Darii. Dictum de nullo eſt, Quod univerſaliter negatur de prædicato negari etiam poteſt de illius prædicati ſubiecto: & hoc dictum obſervant ſyllogiſmi in Celarent & Ferio.*

Exempli gratia, hic ſyllogiſmus, *Omne animal eſt mortale, Atqui omnis homo eſt animal, Ergo omnis homo eſt mortalis*; non tantùm neceſſariò, ſed

etiam evidenter concludit, quia, *Quod prædicatur de animali, idem prædicari quoque poſſe de omni eo de quo animal prædicatur*, ſive *quod prædicationis ambitu continet animal continere etiam quæcunque ab animali continentur, omninoque in quo comprehenditur totum in eodem contineri & partem*, evidentius eſt quàm ut à quoquam ſeriò & ex animo negari poſſit. Itidem & hic ſyllogiſmus, *Nullum animal eſt immortale, Atqui omnis homo eſt animal, Ergo nullus homo eſt immortalis*, ſequelæ neceſſitatem habet evidentem & conſpicuam, quia evidens eſt, *quod univerſaliter negatur de animali, negari quoque de omni eo de quo prædicatur animal*: haud aliter quàm ſi quis diceret Alexandriam non eſſe in Europa, quia tota Ægyptus, in qua eſt Alexandria, extra Europam eſt. Quæ cùm ita ſint, facile eſt videre cur ea figura prima appellata ſit in qua medium maiori extremo ſubiicitur & minori attribuitur. Prima enim eſt quatuor nominibus: Primò, quia cæteris perfectior eſt & evidentior. Secundò quia communior eſt; nam per eam concluduntur omnia problematum genera, id eſt univerſalia, particularia, affirmantia, & negantia, quod reliquis duabus conceſſum non eſt, ut ſupra docuimus. Tertiò, quia in ea medium non ſolùm officio, ut in cæteris figuris; ſed etiam τῇ θέσει γίνεται μέσον, ut ait Ariſt. id eſt, *diſpoſitione & loco fit medium*: nam in prima figura maius extremum & argumento & minori extremo attribuitur, adeoq; ſummum eſt, cum in ſyllogiſmo id ſuperius cenſeatur quod attribuitur; minus extremum & maiori extremo & argumento ſubiicitur, adeoque infimum eſt; argu-

mentum maiori extremo ſubiicitur & de minori prædicatur, adeoque diſpoſitione medium eſt: At in ſecunda figura medium licet officium ſuum retineat, quod eſt connectere partes quæſtionis, tamen locum non habet medii, ſed primi vel ſummi, cum utrique extremo attribuatur: ſic in tertia locum habet ultimi vel infimi, quia utrique extremo ſubiicitur: Et, ut Ariſtotelis verbis utar, in ſecunda figura medium τίθεται ἔξω τῶν ἄκρων, πρῶτον δὲ τῇ θέσει: in tertia, τίθεται ἔξω τῶν ἄκρων, ἔσχατον τῇ θέσει. Quartò, quia τῶν σχημάτων ἐπιστημονικὸν μάλιστα τὸ πρῶτόν ἐστιν, id eſt, *figurarum ea maximè eſt ſcientifica quæ prima* dicitur, ut ait Ariſt. 1. poſt. Analyt. c. 14. t. 103. nam in ea ſola demonſtrationes rerum per ſuas cauſas formantur, & in ea ſola propoſitiones ſortis præſtantiſſimæ, nempe univerſales affirmantes concluduntur. Hunc tamen figurarum ordinem tam prudenter ab Ariſtotele conſtitutum, & tam firmis nixum rationibus, Petrus Ramus invertere non erubuit, eam appellando primam quæ Ariſtoteli tertia eſt, & tertiam quæ illi prima eſt: quaſi medii diſpoſitio ante aut poſt utrumq; extremum ſimplicior eſſet, quàm cum inter extrema, id eſt ſuâ in ſede, collocatur.

3. *Sequelæ neceſſitas in ſecunda & tertia figura duplici via declaratur: nempe, reductione ad primam figuram, & expoſitione ſenſili. Reductioni inſerviunt conſonantes quæ in Modorum*

nominibus continentur: & primò initiales, quia unuſquiſque ſecundæ aut tertiæ figuræ modus ad eum primæ reducendus eſt cum quo initialem habet eandem: deinde mediæ & finales, non quidem omnes, ſed hæ quatuor, S, P, M, C. S, propoſitionem à vocali antecedente denotatam ſimpliciter convertendam eſſe indicat; P, convertendam per accidens: M, metatheſin vel tranſpoſitionẽ propoſitionis in locum aſſumptionis neceſſariam eſſe: C, ſyllogiſmum non poſſe transformari in primam figuram niſi deductione ad impoſſibile.

Syllogiſmorum ſecundæ & tertiæ figuræ ad primam reductio uſum habet geminum: unus præcipuus eſt, nempe, ut neceſſitas illationis quæ in ſecunda & tertia non eſt minor, ſed minùs evidens, quàm in prima, demonſtretur & declaretur, quemadmodum in Aphoriſmo iam propoſito diximus: alter ſecundarius eſt, non tamen contemnendus, nempe, ut appareat convenientia & conſenſus omnium figurarum ſyllogiſticarum, & ut ſyllogiſmis ex ſecunda & tertia figura in primam transformandis exercitata diſcentium ingenia aſ-
ſueſcant

ſueſcant promptè & expeditè de ſyllogiſmorum quorumlibet forma iudicium facere. Quemadmodum enim Geometræ eſt poſſe non tantùm quadrata, triangula, aliaſque figuras, in dato plano deſcribere, ſed etiam dato quadrato triangulum, aut pentagonum, aliamve figuram æqualem facere, unde eſt quòd tot iam ſæculis à tantis viris circuli quadratio tētata ſit; ita Logici eſt poſſe non tantùm ſyllogiſmum in qualibet figura formare, ſed etiam in quolibet ſecundæ aut tertiæ figuræ modo formatum in primam figuram transformare. Conſonantium initialium ſignificatio in modis reducendis facilis eſt: nam propter initialis communionem *Ceſare*, & *Cameſtres* ad *Celarent*: *Darapti* *Diſamis* & *Datiſi* ad *Darij* reducuntur; &c. Conſonantium ſ, p, m, c, in medio & fine modorum reducendorum πιχιολογία hoc rhythmo exprimi ſolet;

S vult ſimpliciter verti; P, verò per acci;
M, vult tranſponi; C per impoſſibile duci.

Quare ſyllogiſmus in *Ceſare* reducitur ad *Celarent* maiore ſimpliciter conversâ, ut indicat litera S, vocalem maioris propoſitionis indicem ſequēs: Exempli gratia, ſyllogiſmus in *Ceſare* eſt,

Nulla planta ſentit;
Omne animal ſentit;
Ergo nullum animal eſt planta:

Fiet in *Celarent* maiore ſimpliciter conversâ hoc pacto, *nihil quod ſentit eſt planta*, & ſervatâ eâdem minore & concluſione. Itidem *Feſtino* & *Feriſon* ad *Ferio*, & *Datiſi* ad *Darij* reducuntur, minore ſimpliciter conversâ: minore autem con-

P

ducẽs ad impoſſibile. Oſtenſiuus eſt, quo idipſum de quo agitur directè probamus: deducens ad impoſſibile eſt, quo ex contradictione concluſionis probandæ & altera quadam propoſitione manifeſtè verâ, vel ſaltem ab adverſario conceſsâ, colligimus abſurdum vel impoſſibile. Si quis igitur conceſsis præmiſsis in ſyllogiſmo ſecundæ aut tertiæ figurę concluſionem negaret, tamquam quæ ex præmiſsis non neceſſariò conficiatur, is ad abſurdum deduci poſſet ſyllogiſmo in prima figura reformato, ſervatâ unâ præmiſſarum & contradictione concluſionis in alterius locum ſuffectâ. Syllogiſmi in ſecunda figura ſervatur maior, & contradictio concluſionis ſubit in locum minoris: in tertia ſervatur minor, & contradictio concluſionis ſufficitur in locum maioris. Vulgares verſiculi ſunt,

Servat maiorem, variatque ſecunda minorem:
Tertia maiorem variat, ſervatque minorem.

Digitized by Google

Exempli gratia, ſit probandũ, *Non omne vivens eſſe animal*: id probare poſſumus vel directè & oſtẽſivè in hunc modũ: *Omne animal ſentit, Atqui non omne vivens ſentit, ergo non omne vivens eſt animal*: vel ex cõtradictione concluſionis probãdæ inferẽdo abſurdum, hoc modo. *Omne animal ſentit, Atqui omne vivens eſt animal, Ergo omne vivens ſentit*, quod eſt planè abſurdum, cum plantæ non ſentiant, vivant tamen; Ergo & illud abſurdum eſt ex cuius poſitione hoc colligitur, nempe; *Omne vivens eſſe animal*; quia ex veris nihil ſyllogiſticè colligitur niſi verum. Declaratio neceſſitatis ſequelæ ſyllogiſmorum in ſecunda & tertia figura per deductionem ad impoſſibile in prima figura omnibus ſecundæ & tertiæ figuræ modis applicari poteſt: verùm ſufficit, opinor, exempla proferre ſyllogiſmorum in *Baroco* & *Bocardo*, quia cæteri modi ad primam figuram reduci poſſunt reductione oſtenſiva (ut ſupra docuimus) quæ minùs operoſa eſt. Eſto igitur ſyllogiſmus in *Baroco*, ut ſupra,

Omne animal ſentit,
Atqui non omne vivens ſentit,
Ergo non omne vivens eſt animal:

Siquis, conceſſa huius ſyllogiſmi maiore & minore, concluſionem negaret tamquam quæ ex præmiſſis non neceſſariò colligatur, ad abſurdum deduci poſſet ſyllogiſmo hoc ſtructo in *Barbara*, ut ſupra.

Omne animal ſentit, ut conceſſum eſt:
Atqui omne vivens eſt animal;
Ergo omne vivens ſentit, quod eſt abſurdum & contra minorem in ſuperiori ſyllogiſmo con-

ceſſam. Si tamen ſyllogiſmi in *Baroco* ſtructi minor & concluſio fuerint propoſitiones ſingulares deductio ad impoſſibile fiet in *Darij*. Eſto enim hic ſyllogiſmus in *Baroco*:

Omne rationale eſt riſibile,
Atqui Bucephalus non eſt riſibilis,
Ergo Bucephalus non eſt rationalis:

Si adverſarius conceſſis præmiſſis concluſionem negaret, eiuſque contradictionem mordicus teneret, ſic utique redarguendus eſſet,

Omne rationale eſt riſibile, ut iam conceſſiſti, *Atqui Bucephalus eſt rationalis,*
Ergo Bucephalus eſt riſibilis, quod eſt abſurdum, & contra minorem ſuperioris ſyllogiſmi à te ipſo conceſſam.

Eſto itidem ſyllogiſmus *in Bocardo*;

Aliquod vivens non ſentit,
Atqui omne vivens creſcit,
Ergo non omne quod creſcit ſentit:

ſi adverſarius conceſſis præmiſſis concluſionem huius ſyllogiſmi negaret, ſyllogiſmo in *Barbara* ad abſurdum deduci poſſet, hoc pacto,

Quicquid creſcit ſentit, ut tu aſſeris:
Atqui omne vivens creſcit, ut ſuprà conceſſeras: *Ergo omne vivens ſentit*, quod eſt abſurdum, & contra maiorem prioris ſyllogiſmi à te conceſſam.

Atque hæc Scholaſtici de ſyllogiſmorum reductione tradiderunt. Eſt tamen & alia quædam via reductionis, quæ ſyllogiſmis in *Cameſtres* & *Baroco* congruit: *Cameſtres* enim ad *Celarent*, & *Baroco* ad *Ferio* reduci poteſt, converſâ maiore per con-

trapoſitionem terminorum. Eſto enim ſyllogiſmus in *Cameſtres*:

Omne animal ſentit,
Atqui nulla planta ſentit,
Ergo nulla planta eſt animal.

Convertatur maior per contrapoſitionem terminorum hoc pacto, *quod non ſentit non eſt animal*, & ſervatâ eâdem minore inferetur eadem concluſio in *Celarent*. Eſto itidem ſyllogiſmus in *Baroco*,

Omne animal ſentit,
Atqui aliquod vivens non ſentit,
Ergò aliquod vivens non eſt animal:

Convertatur maior per contrapoſitionem terminorum, ut ſuprà, eritque ſyllogiſmus in *Ferio*. Hanc reductionis ſpeciem exiſtimo à Scholaſticis perſpectam fuiſſe: ſed deſpectam; quia in prima figura propoſitio minor affirmans attributi infiniti, quum primo intuitu videatur eſſe negans, formæ evidentiam obſcurat: atqui ſyllogiſmorum reductio comparata eſt non ad formæ bonitatem obſcurandam, ſed illuſtrandam.

5. *Etſi verò formæ ſyllogiſticæ bonitas evidentior ſit in prima figura, quàm in ſecunda, aut tertia; tamen materiæ conditio quandoque magis trahit ratiocinantem ad ſecundam, vel tertiam, quàm ad primam; ita ut non poſſit eadem concluſio ſervato eodem medio in*

prima immediatè & ſine converſione colligi.

Hic Aphoriſmus eo fine à nobis propoſitus eſt ut conſtet utilitas ſecundæ, & tertiæ figuræ. Cum enim forma ſyllogiſmi evidétior ſit in prima figura quàm in ſecunda, & tertia, & poſſit omne problema in eâ concludi; fortaſſe alicui videantur ſecunda figura atque tertia ſuperfluæ eſſe, ac proinde uſu naturali vacare, cum in omnibus natura quærat compendium. Sed hæc dubitandi anſa præcîditur, eo quòd materiæ præſentis conditio & concluſionis inferendæ conſtitutio, nonnunquam ſecundam aut tertiam figuram magis amet quàm primam. Quippe ſi probandum eſſet, *Aliquod vivens non eſſe animal*, per medium *ſentire*, ſtruendus eſſet ſyllogiſmus in *Baroco* ut ſupra, nec poſſet ſervato eodem medio inferri eadem concluſio in prima figura, niſi per Maiorem ſubiecti infiniti, & Minorem attributi infiniti; atqui propoſitiones ex terminis infinitis minùs ſimplices ſunt minúſque naturales. Immò verò concluſio quæ infertur in *Bocardo*, ſervato eodem medio non poteſt oſtenſivè inferri in prima figura, quemadmodum ex iis quæ modò de reductione dicebamus conſpicuum eſt.

6. *Satis de reductione; qua declarantur tam ſyllogiſmi ſecundæ quàm tertiæ figuræ: reſtat expoſitio ſenſilis; quæ com*

P 4

parata eſt peculiariter ad declarationem tertię figuræ. Syllogiſmus enim in tertia figura medium habens univerſale optimè declaratur, cum per medium ſingulare ſub illo univerſali comprehenſum eadem concluſio colligitur.

Exempli gratia, Eſto ſyllogiſmus in *Datiſi*,

Omnis homo errare poteſt,
Atque aliquis homo eſt ſapiens,
Ergo aliquis ſapiens errare poteſt.

Si quis de huius ſequelę neceſſitate dubitaret, eam exponere poſſem ſumpto medio aliquo ſingulari quod ſub univerſali *homo* comprehenditur, ut

Ariſtoteles errare potuit,
Atqui Ariſtoteles fuit ſapiens,
Ergo aliquis ſapiens errare potuit.

Huic enim ratiocinationi maior ineſt evidentia quàm priori, quia medium eſt ſingulare ſenſile, & axioma indubitatum eſt, *Quæ congruunt eidem tertio ſingulari ea congruunt inter ſe.* Syllogiſmus autem expoſitorius non eſt idoneus ad declarandam ſequelam ſecundæ figuræ, quia in ſecunda figura medium prædicatur, at medium ſingulare non prædicatur naturaliter, ſed ſubiicitur. His coniunge quæ de ſyllogiſmo ſenſili tradita ſunt c. præcedente.

CAPVT V.

Appendix De inveſtigatione medij.

Ex illis quæ de forma ſyllogiſtica hactenus dicta ſunt facilis patet via inveſtigandi medium ad concluſionis inſtitutæ illationem idoneum. Primò enim conſiderandum eſt, quanta, & qualis concluſio ſit inferenda: Deinde, an in una tantùm figura & modo, an verò in pluribus talis & tanta concluſio inferri poſſit: quibus peractis, quali medio id de quo agitur concludi poſſit manifeſtum evadet.

ARiſtoteles 1. prior. Analyt. à c. 26. uſque ad 32. multa ſollicitè præcipit de inveſtigatione & inventione medii: & Scholaſtici hîc ſine cauſa perplexantur, cum inveſtigatio medii, quatenus ad formam ſyllogiſticam ſufficit, non alia requirat præcepta, quàm quæ in Aphoriſmo propoſito continentur. Non enim hic locus eſt de veritate,

aut falſitate, neceſſitate, aut probabilitate propoſitionum in ſyllogiſmo adhibendarum verba faciendi. *Quanta & qualis concluſio.*) nempe an univerſalis, an particularis, an affirmans, an negans. Singularis enim cenſetur ut particularis in doctrina de modis ſyllogiſticis alteram aut utramq; præmiſſam univerſalem habentibus, ut ſuprà monuimus. *Deinde, an in una tantùm, &c.*) Illud enim concluſionis genus probatu facilius eſt quod in pluribus figuris & modis colligi poteſt: Ac proinde univerſalis affirmans probatu difficillima eſt: proxima eſt univerſalis negans: tertia particularis affirmans: omnium autem probatu facillima eſt particularis negans. Hoc patet inductione modorum quibus quatuor hæ propoſitionum conſtitutiones inferri poſſunt: univerſalis enim affirmans in *Barbara* tantùm concluditur: univerſalis negans in tribus modis, nempe in *Celarent*, *Ceſare*, & *Cameſtres*: particularis affirmans in quatuor, nempe in *Darij*, *Darapti*, *Diſamis*, & *Datiſi*: particularis negans in ſex, nempe in *Ferio*, *Feſtino*, *Baroco*, *Felapton*, *Bocardo*, & *Feriſon*. Similiter illud concluſionis genus refutatu facilius eſt cuius oppoſitum in pluribus figuris & modis colligi poteſt: ac proinde quod probatu difficilius eſt, refutatu facilius eſt; & quod probatu facilius, refutatu difficilius eſt. Vniverſalis enim affirmans refutatur probatione univerſalis, aut particularis negantis; adeoque in 9. modis negativis *Celarent Ceſare*, &c. Vniverſalis negans refutatur in omnibus modis affirmativis, qui numero 5. ſunt. Particularis affirmans refutatur pobatione univerſa-

ſis negantis, ac proinde in 3. modis dumtaxat. Particularis negans non aliter refutari poteſt quàm probatione univerſalis affirmantis, adeoque in primo tantùm modo primæ figuræ. *Quibus peractis quali medio*, &c) Medii ad utramvis partem quæſtionis habitudo triplex omnino eſſe poteſt: vel enim eſt eius *antecedens*, vel *conſequens*, vel *repugnans*. Antecedens dicitur, cum ſubiicitur in Enunciatione affirmante; conſequens, cum prædicatur: ut in hac Enunciatione *omnis homo eſt animal, homo* eſt antecedens, & *animal* conſequens. Repugnantia dicuntur quæ conſtituunt Enunciationem negantem, ut ſunt *homo & arbor*. Aio igitur; cognitâ figurâ & modo in quo concluſio optata colligi debet, cognoſci pariter an opus ſit medio quod ſit antecedens alterius, vel utriuſque partis quæſtionis; an verò quod ſit alterius antecedens, & alterius conſequens, aut repugnans, &c. Exempli gratia, ſi concludenda eſt univerſalis affirmans, cum in *Barbara* tantùm concludi poſſit, medio opus eſt quod univerſaliter ſumptum ſit antecedens attributi quæſtionis, & conſequens totius ſubiecti quęſtionis. At verò ſi concludenda eſt univerſalis negans, cum poſſit concludi in *Celarent*, *Ceſare*, & *Cameſtres*, quærendum eſt medium quod ſit vel repugnans attributi & conſequens ſubiecti, ſic enim fiet ſyllogiſmus in *Celarent* aut in *Ceſare*: vel conſequens attributi & repugnans ſubiecti; & fiet ſyllogiſmus in *Cameſtres*. Eodem planè modo procedendum eſt in inveſtigatione medii ad concludendum particularem affirmantem, aut negantem.

Digitized by Google

CAPVT VI.

De ſyllogiſmo hypothetico.

1. *Syllogiſmorum ad regulas ſupra explicatas conformatorum alii ſunt Categorici, alii hypothetici. Syllogiſmus Categoricus eſt cuius omnes propoſitiones ſunt categoricæ: eſtque alius de ineſſe alius verò Modalis. Syllogiſmus de ineſſe eſt cuius omnes propoſitiones ſunt de ineſſe. Modalis eſt in quo habetur propoſitio aliqua modalis: poteſtque eſſe vel omnino ex modalibus, vel mixtus ex propoſitionibus de ineſſe & modalibus. In ſyllogiſmis modalibus obſervandæ ſunt nonnullæ cautiones hactenus non expoſitæ, quas prætereo quia ſyllogiſmorum modalium nullus propemodum eſt in lingua Latina uſus.*

OMnia formæ ſyllogiſticæ exempla hactenus à nobis prolata conſtabant ex propoſitionibus

Digitized by Google

de ineſſe, quas puras libro 2. appellavimus. Exemplum ſyllogiſmi ex ſolis modalibus conflati in prima figura hoc eſto:

Neceſſe eſt omne animal eſſe mortale,
Atqui neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal,
Ergo neceſſe eſt omnem hominē eſſe mortalem:

Hic enim ſyllogiſmus eſt in *Barbara*, & modus *neceſſe* in eo non conſideratur tanquam terminus vel categorema, ſed tanquam ſyncategorema & affectio coniunctionis terminorum. Exemplum ſyllogiſmi mixti ex propoſitionibus puris & modalibus hoc eſto:

Omne animal eſt mortale,
Atqui neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal,
Ergo omnis homo eſt mortalis.

Syllogiſmorum modalium regulas, quatenus à regulis ſuprà traditis diverſæ ſunt, qui ſcire avet, eas legat apud Ariſt. latiſſimè expoſitas Prior. Analyt. à c. 7. uſque ad c. 23.

2. *Hypotheticus eſt in quo habetur propoſitio aliqua hypothetica: eſtque alius purè & merè ex hypotheticis, alius ex categoricis & hypotheticis mixtus. Hypotheticus mixtus vel habet maiorē categoricā & minorē hypotheticā, unde efficitur etiā concluſio hypothetica: vel habet maiorē hypotheticam & minorem categoricam,*

unde efficitur concluſio categorica.

Syllogiſmus cuius omnes propoſitiones hypotheticæ ſunt hic eſto:

Si omnis homo ſentit certè omnis homo vivit:
Atqui ſi omnis homo eſt animal tum omnis homo ſentit:
Ergo ſi omnis homo eſt animal tum omnis homo vivit.

Structus eſt in *Barbara.* Syllogiſmus ex maiore Categorica, minore autem & concluſione hypotheticis eſt, ut,

Omne iuſtum eſt honeſtum:
Atqui ſi hoc legibus non repugnat certè eſt iuſtum:
Ergo ſi hoc legibus non repugnat eſt honeſtum.

Syllogiſmus ex maiore hypothetica, & minore atque concluſione categoricis eſt ut,

Si Deus eſt, mundus providentiâ regitur:
Atqui Deus *eſt:*
Ergo mundus providentiâ regitur.

3. *Syllogiſmus ex maiore hypotheticâ, minore autem & concluſione categoricis, alius eſt* κατὰ πρόσληψιν, *id eſt, per aſſumptionem; alius* κατὰ μετάληψιν, *id eſt, per tranſſumptionem. Hypotheticus per aſſumptionem eſt in cuius minore aſſumitur terminus aliquis qui non erat expreſſus in maiore. Hypotheticus per*

tranſſumptionem eſt in cuius maiore exprimitur argumentum cum utraque parte quæſtionis, ita ut minor ſit pars maioris.

Exempli gratia, hic ſyllogiſmus eſt hypotheticus per aſſumptionem:

Qualis eſt arbor tales ſunt fructus,
Atqui arbor eſt bona,
Ergo fructus ſunt boni:

Nam in minore aſſumitur novus terminus, nempe *bonum*. Talis eſt & hic ſyllogiſmus,

Ubi ſunt cadavera ibi congregantur aquilæ,
Atqui in campo Pharſalico ſunt cadavera,
Ergo in campo Pharſalico congregantur aquilæ:

Nam in maiore non exprimuntur omnes termini ſyllogiſmi. Dico autem *non exprimuntur*, quia in maiore talis ſyllogiſmi ſunt implicitè ambæ partes quæſtionis cum argumento, cum terminus in minore aſſumendus contineatur poteſtate particulæ relativæ quæ ponitur in maiore. At hic ſyllogiſmus eſt hypotheticus per tranſſumptionem.

Si Deus *eſſet animal certè eſſet mortalis,*
Atqui Deus *non eſt mortalis,*
Ergo Deus *non eſt animal,*

Subiectum quæſtionis eſt *Deus*; attributum *animal*, medium eſt *Mortale*: Omnes autem hi termini diſertis verbis in maiore continentur, minor autem & concluſio ſunt partes maioris. Hîc igitur propoſitiones præmiſſæ non dicuntur maior

& minor ea ratione quà in ſyllogiſmis ſimplicibus, ſed duntaxat quia quæ prima ponitur, & præcipua eſt, & ſecundam includit tanquam partem.

4. *Hypotheticus per tranſſumptionem alius maiorem habet formaliter conditionalem, alius diſiunctivam. Hypotheticus propoſitionẽ habens formaliter conditionalem in duos dividitur modos benè concludentes, quorum primus eſt à poſitione antecedẽtis ad poſitionẽ conſequentis. Secundus à remotione cõſequẽtis. Ille actu eſt in prima figura, hic in ſecunda, adeoque ad formæ bonitatẽ opus non habent reductione ad ſyllogiſmos categoricos. Immò ſæpè talis reductio impoſſibilis eſt. Totidem ſunt modi fallaces: nempe, unus à remotione antecedentis ad remotionem conſequentis, alter à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis.*

Formaliter conditionalem, &c.) Quippe propoſitio

ſitio diſiunctiva, licet non ſit apertè & formaliter hypothetica, hypothetica tamen eſt poteſtate & implicitè, ut in explicatione 5. aphoriſmi c. 2. lib. 2. docuimus. *Primus eſt à poſitione, &c.*) Ponere partem maioris antecedentem vel conſequentem, eſt eam retinere qualis in maiore fuerat: ſi affirmata, affirmatè; ſi negata, negatè. Tollere partem antecedentem vel conſequentem, eſt eius contradictionem ſumere: id eſt, ſi affirmata fuerat, ſumere negationem, ſi negata, affirmationem. Exemplum primi modi benè concludentis hoc eſto:

Si planta creſcit certè vivit,
Atqui planta creſcit,
Ergo planta vivit.

Hic ſyllogiſmus actu eſt in prima figura, ut patet ex diſpoſitione medii: quæſtio enim eſt, *An planta vivat:* medium eſt *creſcere*, quod in maiore antecedit, & in minore ſequitur atque prædicatur: & ſequelæ neceſſitatem tam evidentem & naturalem habet, quàm ſi propoſitione hypothetica in Categoricam converſâ dicerem, *Quicquid creſcit vivit, Atqui planta creſcit, Ergo planta vivit.* Talis eſt & hic ſyllogiſmus: *Si lapis non alitur certè non vivit, Atqui lapis non alitur, Ergo lapis non vivit.* Retinentur enim antecedens & conſequens maioris eodem modo in minore & concluſione, quo propoſita fuerant in maiore; nempe cum nota negandi. *Secundus à remotione, etc.*) ut:

Si equus eſſet rationalis certè eſſet riſibilis,
Atqui equus non eſt riſibilis,
Ergo equus non eſt rationalis.

Hic ſyllogiſmus actu ſtructus eſt ad regulas ſecun-

dæ figuræ: ut patet ex termini medii diſpoſitione: quæſtio enim eſt, *an equus ſit rationalis*: medium eſt *riſibile*, quod & in maiore & in minore ſequitur, in altera affirmatè, in altera negatè: & par eſt ſequelæ neceſſitas ac ſi dicerem, *Omne rationale eſt riſibile, Atqui equus non eſt riſibilis, ergo equus non eſt rationalis.* Non eſt neceſſe in aſſumendo & concludendo totas maioris partes repetere, ſed brevitatis gratia licet uti formulis quibuſdam cōtractis: In primo modo ſic, *Atqui prius verum; Ergo & poſterius.* In ſecundo modo: *Atqui poſterius falſum, Ergo & prius. Imò ſæpe talis reductio.*) Exempli gratia hi ſyllogiſmi *Si Deus eſt, providentia eſt: Atqui Deus eſt: Ergo providentia eſt. Si honeſtum eſt ſequendum certe turpe eſt vitandum: Atqui prius verum eſt: Ergo & poſterius. Si Chriſtus non reurrexit ſpes noſtra eſt vana: Atqui ſpes noſtra non eſt vana: Ergo Chriſtus reſurrexit.* Hi, inquam, ſyllogiſmi in categoricos reſolvi non poſſunt ſervatis iiſdem terminis, nulloque addito aut detracto: Imò generalis eſt regula, *Quando medium hypothetici non eſt terminus ſimplex ſed integra enunciatio,* (vel *quando nihil habetur in minore præter medium*) *impoſſibilis eſt reductio ad ſyllogiſmum categoricum.* Sumatur enim ſecundus ſyllogiſmorum iam prolatorum: In eo quæſtio eſt, *An omne turpe ſit vitandum,* medium quod aſſumitur non eſt terminus ſimplex ſed integra hæc enūciatio, *Honeſtum eſt ſequendum:* ac proinde fruſtra tentares eius reductionem: quippe in eo ſunt quatuor termini ſimplices, nempe *Turpe, vitandum, honeſtum, ſequendum.* At in ſyllogiſmo categorico non poſſunt

eſſe quatuor ſimplices termini. Sed hinc oriri poteſt dubitatio non tacenda: nempe an id quod diximus c. 3. *in ſyllogiſmo neceſſarios eſſe tres terminos, non plures, nec pauciores*, proprium ſit ſyllogiſmo categorico, non autem hypothetico? Reſpondeo nec in hypothetico eſſe terminos plures tribus, nempe duabus partibus quęſtionis & argumento: Hoc tantum intereſt inter argumentum categorici & hypothetici, quòd illud ſit terminus ſimplex, hoc autem quandoque ſit integra enunciatio. Sunt ergo in ſyllogiſmo hypothetico quandoque quatuor termini ſimplices, ſed ita ut duo eorum coaleſcant in enunciationem quæ terminus eſt complexus, & tota ſumitur ut medium unum, eodemque munere fungitur in ſyllogiſmo hypothetico quo terminus ſimplex in categorico: *Totidem ſunt modi fallaces.*) Primi modi exemplum hoc eſto:

Si planta eſt animal certè vivit,
Atqui planta non eſt animal,
Ergo planta non vivit.

Quippe hic eſt paralogiſmus ex minore negante in prima figura: medium enim eſt *animal* quod de ſubiecto quæſtionis negatur in minore. Secundi modi exemplum hoc eſto:

Si planta eſt animal certè vivit:
Atqui planta vivit,
Ergo planta eſt animal.

Medium enim eſt *vivit*, ac proinde hic eſt paralogiſmus ex duabus affirmantibus in ſecunda figura.

5. *Syllogiſmus maiorem habens disiunctivam unico modo bene concludit,*

nempe à remotione unius partis ad poſitionem alterius: Si autem propoſitio disiunctiva explicetur per conditionalem comperietur ſyllogiſmus ſtructus ad regulas primæ figuræ. Alter modus, nempe à poſitione vnius partis ad remotionem alterius fallit, niſi diſiunctionis membra ἀσύστατα ſint, ſive ita à natura comparata ut ambo ſimul vera eſſe nequeant.

Exempli gratia, ad maiorem hanc, *Aut ſerviendum, aut moriendum eſt,* poſſum aſſumere, vel, *Atqui ſerviendum non eſt,* & ſequetur *ergo moriendum eſt*: vel *Atqui moriendum non eſt,* & ſequetur, *ergo ſerviendum eſt.* Explicatur diſiunctiva maior per conditionalem dupliciter: primò ſic, *Si ſerviendum non eſt certè moriendum eſt, atqui ſerviendum non eſt, ergo moriendum eſt*: ſecundò ſic, *Si moriendum non eſt certè ſerviendum eſt, at moriendum non eſt, ergo ſerviendum eſt.* Syllogiſmus ergo maioris diſiunctivæ revera idem eſt cum primo modo ſyllogiſmi maiorem formaliter hypotheticam habentis, adeoque ſtructus eſt in prima figura, licet ante explicationem diſiunctivę per conditionalem non ita videatur. *Alter modus, nempe à poſitione.)* Exempli gratia, ſi dicam, *Aut dies eſt aut nox eſt, atqui dies eſt, ergo nox non eſt: vel atqui nox eſt, ergo*

dies non eſt: non continget deceptio: quia ſi dies eſt nox non eſt, & ſi nox eſt dies non eſt. At ſi dicam *latro aut vitæ inſidiatur, aut bonis: atqui vitæ inſidiatur, ergo non bonis*: vel, *Atqui bonis inſidiatur, ergo non vitæ*: continget deceptio: quia poteſt ſimul inſidiari & vitę & bonis. Forma tamen huius argumẽtationis eadem eſt cum priori: quare & prior argumentatio paralogiſmus erat, & concludebat non beneficio formæ, ſed materiæ. Quemadmodum enim modius qui iuſtus eſt, ſive tritico, ſive pulvere impleatur, iuſtus manet; & libra iuſta, ſemper iuſta eſt, ſive aurum pendamus ſive plumbum: Ita ſyllogiſmi forma, ſi bona eſt, in omni materia iuxta valet, adeoque ſyllogiſmum bonum facit non argumenti natura, ſed diſpoſitionis.

CAPVT VII.

De Inductione, Exemplo, Enthymemate, Proſyllogiſmo, Dilemmate, & Sorite.

1. *Quid ſit ſyllogiſmus, & quemadmodum tam ex propoſitionibus hypotheticis quàm ex categoricis formandus ſit oſtenſum eſt: Supereſt argumentatiotionum formulas quæ à ſyllogiſmo ali-*

quatenus diſcrepant ad ſyllogiſmum reducamus: Cuiuſmodi ſunt Inductio, Exemplum, Enthymema, Proſyllogiſmus, Dilemma, & Sorites. Inductio eſt argumentatio qua concludimus aliquid de univerſali per enumerationem ſingularium, vel minùs univerſalium, ſub eo comprehenſorum: Eſtque alia perfecta, alia imperfecta. Perfecta eſt quæ conſtat ex enumeratione omnium ſub univerſali quod in quæſtione eſt comprehenſorum: & reducitur ad primam figuram propter reciprocationem propoſitionis in qua univerſale de collectione inferiorum prædicatur. Imperfecta eſt in qua deſideratur unum aut plura eorum quæ ſub univerſali quod in quæſtione eſt comprehenduntur; & hæc non poteſt ad formam ſyllogiſticam reduci, ſalva propoſitionum veritate, quia univerſale cum iis quæ accepta ſunt, non reciprocatur.

ARgumentationes quæ ad formam ſyllogiſticam deinceps revocandæ ſunt appellari poſſunt ſyllogiſmi cryptici, quia in illis forma ſyllogiſmi occultatur, vel partis alicuius ſuppreſſione, vel redundantia, vel partium tranſpoſitione. *Inductio eſt argumentatio, etc.*) Duæ extant apud Ariſtotelem inductionis deſcriptiones una 1. Topic. c. 12. nempe, ἐπαγωγὴ ἐστιν ἡ ἀπὸ τῶν καθ᾽ ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος, id eſt *progreſſio à ſingularibus ad univerſalia*: ubi per ſingularia intelligere oportet non tantùm ea quæ re vera ſunt ſingularia, ſed etiam quæcunq; ſunt minus univerſalia eo quod in quæſtione eſt, & ſub eo comprehenduntur. Quippe alia eſt inductio individuorum ad probandum aliquid de ſpecie: ut, *Socrates eſt riſibilis, item Plato, Cæſar, Alexander & ita de cæteris ſub homine comprehenſis, Ergo omnis homo eſt riſibilis.* Alia eſt ſpecierum ad probandum aliquid de genere: ut, *homo ſentit, item equus, bos, aves, piſces, & ita de cæteris quæ ſub animali comprehenduntur, Ergo omne animal ſentit.* Cùm enim non poſſunt facilè & paucis omnia quę ſub univerſali quod in quæſtione eſt, comprehenduntur nominatim recenſeri, utendum eſt compendio huiuſmodi, *Et ita de cæteris* quæ ſub univerſali quod in quæſtione eſt comprehenduntur. Altera inductionis deſcriptio habetur 2. prior. Analyt. c. 23. verbis pauló obſcurioribus, ἐπαγωγὴ μὲν ἐστι καὶ ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμὸς, τὸ διὰ τοῦ ἑτέρου θάτερον ἄκρον τῷ μέσῳ συλλογίσασθαι, id eſt, *inductio eſt, et ex inductione ſyllogiſmus, cùm alterum extremum per alterum de medio concluditur*: quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, cùm maius extremum de eo quod ex na-

tura rei deberet eſſe medium probatur per id quod ex natura rei deberet eſſe minus extremum: quippe ex natura rei ſingulare debet eſſe minus extremum, non autem univerſale. Exempli gratia, hic ſyllogiſmus eſt ordini naturæ conformis: *Omnis homo eſt riſibilis, Atqui Socrates eſt homo, ergo Socrates eſt riſibilis*: nam ex ordine naturæ illud infimum in ſyllogiſmo eſſe debet quod ſingulare eſt: at in inductione hic ordo invertitur, cùm Plato, Socrates, cæterique ſumantur ut medium probandi omnem hominem eſſe riſibilem. *Et reducitur ad primam figuram, etc.*) Exempli gratia, hæc inductio, *Plato, Socrates, et ita de cæteris hominibus, ſunt riſibiles, ergo omnis homo eſt riſibilis*, explicatur in prima figura hoc pacto:

Plato, Socrates &c. ſunt riſibiles:
Atqui omnis homo eſt aut Plato, aut Socrates, etc.
Ergo omnis homo eſt riſibilis.

Et hac non poteſt, etc.) Exempli gratia, hæc inductio non poteſt ad bonam formam revocari, ſalvâ propoſitionum veritate; paſſer, columba, & aquila ſunt aves, ergo omne alatum eſt avis. Si enim ſic ſtruatur,

Paſſer, columba, & aquila, ſunt aves,
Atqui omne alatum eſt aut paſſer, aut columba aut aquila,
Ergo omne alatum eſt avis:

Minor erit falſa: nam apes & veſpertiliones pro inſtantia afferri poſſunt. Vſus inductionis latiſſimè funditur: per eam enim olim omnia ſcientiarum & artium principia cõſtituta fuere, & nunc ſi propoſitio aliqua immediata ſit, & prima, id eſt, per

ſe tam evidens ut per medium univerſale quod ſit naturâ notius, probari nequeat, inductione confirmanda eſt: Exempli gratia, ſi quis negaret *omnem hominem eſſe rationalem*, non poſſet evidentiùs redargui quàm inductione ſingulorum: quamobrem & in Dialecticis diſputationibus cùm non ſuppetunt alia media ad inductionem confugiendum eſt: Imò quandocunque nobis res eſt cum vulgo & indoctis, plus inductione ſingularium, quàm argumento univerſali promovemus.

2. *Exemplum eſt argumentatio in qua ſingulare aliquod per unum aut alterum ſimile concluditur. Formaliter nullam habet probandi vim, quia ab uno ſingulari ad alterum non datur tranſitus niſi per univerſale, quod ex uno aut altero ſingulari concludi non poteſt.*

Nomen exempli dupliciter accipi poteſt: primò pro termino ſimili ei quod in quæſtione eſt, ſive pro ipſo medio quo aliquid probare aut illuſtrare conamur: ſecundò pro argumentatione ex tali medio, ut ſi quis diceret, *Socrates fuit modeſtus, ergo et Diogenes.* Vt pateat nullam eſſe huiuſmodi argumentationis vim ſciendum eſt in ea implicitè contineri duos progreſſus: quorum prior non eſt ſyllogiſmus ſed paralogiſmus, nempe quo ex uno aut altero ſingulari concludimus univerſale; ut, *Socrates fuerat modeſtus, at fuerat Philoſophus, Ergo*

Philoſophi ſunt modeſti. Poſterior autem ſyllogiſmus eſt bonus: ut *Omnes Philoſophi fuerant modeſti: At Diogenes fuerat Philoſophus: Ergo Diogenes fuerat modeſtus.* Et quia in priori proceſſu conſiſtit imbecillitas, ideo ad eum duntaxat reſpexit Ariſtoteles 2. prior. Analyt. c. 24. Exemplum definiens hoc pacto, παράδειγμά ἐστιν ὅταν τῷ μέσῳ τὸ ἄκρον ὑπάρχον δειχθῇ διὰ τοῦ ὁμοίου τῷ τρίτῳ, id eſt, *exemplum eſt cum medio extremũ ineſſe oſtenditur per ſimile tertio:* quod perinde eſt ac ſi dixiſſet exemplum eſſe argumentationem in qua maius extremum probatur de eo quod ordine naturæ medium eſſe debet per ſingulare quoddam ſimile ei quod ordine naturæ debet eſſe minus extremum: nam per *extremum,* intelligit maius extremum, & per *tertium* intelligit minus extremum ut c. 1. huius libri in explicatione 2. Aphor notavimus: Ergo ordine naturæ maius extremum eſt *Modeſtus:* minus extremum *Diogenes*, medium *Philoſophus* ut patet in poſteriore ſyllogiſmo: ſed in priori ſyllogiſmo, cui ſoli competit ea Ariſtotelica definitio, probatur modeſtiã ineſſe Philoſopho per ſingulare, *Socrates*, qui Diogeni ſimilis eſt ratione Philoſophiæ, quam uterque coluerat. Exemplum per accidens & beneficio materiæ quandoque concludit: ut cum dico, *Plato eſt naturâ riſibilis, ergo & Socrates*; quippe omnium hominum eadem eſt natura. Itidem, *Abraham fide iuſtificatus eſt, Ergo & nos fide iuſtificamur*: quippe eodem modo omnes homines iuſtificantur. Exempli uſus in Philoſophia non eſt ut probet dubia, ſed ut illuſtret & declaret obſcura: Extra Philoſophiam inter rhetores & poëtas,

& in quotidiana hominum converſatione valet ad perſuadendum, quia nobis ita naturâ comparatum eſt, ut plerumque exemplis plus moveamur, quàm validâ ratione. Syllogiſmus trahit & cogit; Exemplum ducit, & blandè allicit atque invitat: Syllogiſmus per ſe efficax eſt: Exemplum nonniſi per accidens aut ex ingeniis hominum.

3. *Enthymema eſt ſyllogiſmus altera præmittendarum truncatus. In eo igitur exprimuntur tantum duæ propoſitiones quarum una antecedens, altera conſequens appellatur. Si ſubiectum conſequentis habetur in antecedente ſupreſſa eſt maior: ſi attributum, ſuppreſſa eſt minor: utrumvis accidat, enthymema poteſt & reduci ad ſyllogiſmum categoricum. Si neutrum, enthymema reduci tantùm poterit ad hypotheticum.*

Enthymema appellatum eſt παρὰ τὸ ἐνθυμέω, id eſt, *cogito*, quia altera præmittendarum voce exprimitur, altera in animo retinetur. A Græcis interpretibus appellatur μονολήμματος συλλογισμὸς, id eſt, *ſyllogiſmus ex una ſumptione*, vel *propoſitione* concludẽs. Ab Ariſt. 2. prior. An. c. 27. definitur συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐξ εἰκότων ἢ σημείων, id eſt, ſyllogiſmus imper-

fectus ex veriſimilibus aut ſignis. Enthymema ſyllogiſmus dicitur ut diſtinguatur à conſecutione ſentétiarum vel enunciationum, cùm una ex altera elicitur propter æquipollentiam, ſubalternationem, aut converſionem: tales enim conſecutiones non ſunt ſyllogiſmi, ut in explicatione definitionis ſyllogiſmi notavimus. Exempli gratia, ſi quis dicat, omne honeſtum eſt bonum, ergo quod non eſt bonum non eſt honeſtum, licet videatur eſſe enthymema, tamen non eſt: quia ad ſyllogiſmum reduci non poteſt, deeſt enim medium vel argumentum. Dicitur ſyllogiſmus imperfectus non reſpectu mentis, ſed prolationis: nam in mente proponentis integer eſſe poteſt & ſolidus ſyllogiſmus, etſi profeſatur truncatus. Enthymema quandoque latè ſumitur pro quolibet ſyllogiſmo alterâ præmittendarum truncato, & ita à nobis in propoſito Aphoriſmo definitum eſt: quandoque ſtrictè pro ſyllogiſmo Rhetorico, qui ex veriſimilibus & ſignis concludit, & ita ab Ariſtotele acceptum eſt: nec immeritò, nam Rhetores potiſſimùm ſoliti ſunt alteram præmittendarum ſupprimere: vel quod evidens ſit; vel quod falſa, aut ſaltem dubia, ita ut eam cælari proſit ad cauſam; vel propter ornatum, quia faſtidium & contemptum apud auditores pareret continuus ſyllogiſmi pleni uſus; vel propter brevitatem quia rhetores olim ad clepſydram, ſive ut Philoponus ait, πρὸς ὕδωρ ῥέον orabant. Σημεῖον & εἰκὸς differunt ut genus & ſpecies: Σημεῖον enim eſt generaliter quodlibet ſignum, & dividitur in ſignum neceſſarium & certum, quod τεκμήριον appel-

latur, ut *cicatrix eſt, ergo fuit vulnus: montes umbram faciunt, ergo illuſtrati ſunt*:& ſignũ veriſimile quod nonnunquam fallere poteſt, ut, *hic illi invidet, ergo ille hunc odit: Miles eſt, ergo glorioſus eſt: Avarus eſt, ergo iuſiurandum non veretur.* Reductio enthymematis ad ſyllogiſmum facillima eſt: Nam in hoc enthymemate *avarus divitias colit, ergo avarus miſer eſt*, deſideratur maior, quia in antecedente non habetur attributum ſed ſubiectum quæſtionis: præmittatur ergo propoſitio generalis, *quicunque divitias colit miſer eſt*, eritque ſyllogiſmus in prima figura. In hoc verò enthymemate, *Omne animal ſentit, ergo non omne animatum eſt animal*, deſideratur minor, quia in antecedente habetur attributum quæſtionis: quare inter antecedens & conſequens collocetur hæc propoſitio, *Non omne animatum ſentit*, eritque ſyllogiſmus ſecundæ figurę in Baroco. Sin antecedens cum conſequẽte neutrum terminum communem habeat, ut *virtus eſt ſequenda, ergo vitium eſt fugiendum*, non poterit reduci ad ſyllogiſmum categoricum, quia in ſyllogiſmo categorico non poſſunt eſſe quatuor termini ſimplices: Reducetur tamen ad hypotheticum hoc modo, *Si virtus eſt ſequenda vitium eſt fugiendum, At verum eſt prius, ergo & poſterius.*

4\. *Proſyllogiſmus eſt cùm duo ſyllogiſmi quinque propoſitionibus ita continentur ut prioris concluſio ſit maior vel minor poſterioris.*

Exempli gratia, *Omne animal ſentit, Atqui omnis homo eſt animal, Ergo omnis homo ſentit, quidquid autem ſentit eſt mortale, ergo omnis homo eſt mortalis.* Hîc enim duo ſunt ſyllogiſmi, quorum prior probat minorem poſterioris: qui poſterior eſt principalis eſt, prior autem auxiliaris accerſitus ad confirmationem poſterioris.

5. *Dilemma eſt argumentatio quâ aliquid probamus aut refutamus per disiunctionem duarum partium quæ ambæ adverſario iuxta periculoſæ ſunt: continet implicitè ſyllogiſmum hypotheticum & duos categoricos.*

Δίλημμα, quaſi dicas *ſyllogiſmus anceps*, ſive utrinque capiens & conſtringens adverſarium: factum enim eſt nomen ex δὶς & λαμβάνειν, dicitur etiam ſyllogiſmus cornutus, bicornis, bifurcatus. Tale eſt illud Biãtis de re uxoria: ſi ducẽda eſt uxor aut ducenda eſt formoſa, ἕξεις κοινὴν; aut deformis, ἕξεις ποινήν: utrumq; autem malum eſt, ergo uxorem ducere malum eſt. Explicatur in tres ſyllogiſmos hoc pacto: *Si ducenda eſt uxor, aut ducẽda eſt formoſa, aut deformis: atqui neque ducenda eſt formoſa neq; deformis, ergo nulla ducenda eſt.* Prima pars minoris ſic probatur, *uxor communis non eſt ducenda, atqui formoſa communis erit, ergo formoſa non eſt ducenda.* poſterior autem ſic, *Quæ ducenti futura eſt pœna ducenda non eſt; Atqui deformis uxor ducenti futura*

eſt pœna: Ergo deformis uxor non eſt ducenda. Duo ſunt frequentia Dilématum vitia quoad materiam: unum eſt ſi disiunctio non eſt neceſſaria, ut in hoc Biantis, nam inter formæ eminentiam, & deformitatem datur forma media quæ ſtata & uxoria appellatur. Alterum eſt, ſi in ſuum artificem pari efficaciâ retorqueri poteſt, quale fuerat illud Protagoræ ſophiſtæ adverſus Euathlum diſcipulum ſuum. Evathlus in diſciplinam Protagoræ ſeſe dans mercedis dimidium ſtatim dedit, pepigitque ut reliquum dimidium daret quo primo die cauſam apud iudices oraſſet & viciſſet. Poſtea cùm tempus longum tranſcurreret, Protagoras cum Evathlo litem apud iudices conteſtatur in hunc modum; Sive contra te pronunciatum erit, ſive pro te, reddas oportet quod peto: nam ſi contra te iudicatum erit, merces mihi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: ſin pro te, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Evathlus reſpondit, ſive contra me pronunciatum fuerit, ſive pro me, non reddam, Si pro me, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: ſin contra me, nihil tibi ex pacto debeo, quia ego non vicero. A. Gell. lib. 5. c. 10.

6. *Sorites eſt argumentatio in qua prioris cuiuſque propoſitionis attributum eſt poſterioris ſubiectum donec per aliquot media ventum ſit ad terminum cum ſubiecto primæ propoſitionis connecten-*

dum. Tot continet ſyllogiſmos quot ſunt propoſitiones inter primam & ultimam.

Σωρείτης, id eſt, *accumulator*, vel *coacervator*, ſyllogiſmus acervalis, à nomine σωρὸς, id eſt, *acervus*: quia ut grana granis ſuperadduntur in acervo, ita propoſitiones propoſitionibus ordine ſuperimponuntur. Exempli gratia, *Socrates eſt homo, omnis homo eſt animal, Omne animal ſentit, omne ſentiens eſt mixtum ex contrariis, omne mixtum eſt corruptibile, ergo* à primo ad ultimum *Socrates eſt corruptibilis.* Hic acervus in quatuor ſyllogiſmos explicatur, quia inter *Socratem* & *corruptibile* quatuor ſunt media, nempe *homo, animal, ſentit, mixtum eſt.* Tali ioco Themiſtocles filiolũ ſuum Græcorum potentiſſimum eſſe concludebat: Athenienſes imperant cæteris Græcis, ego Athenienſibus, uxor mihi, uxori filiolus, ergo omnibus Grȩcis meus imperat filiolus. Vitia formȩ in huiuſmodi argumentatione duo latere poſſunt: unum eſt, ſi in accumulatione ſumitur aliqua propoſitio particularis: Alterum eſt, ſi inter primam & ultimam interiicitur aliqua propoſitio negans. Sed utrumque detegitur acervo in ſyllogiſmos quos continet diſtributo.

Et de ſyllogiſmo iam abundè præcepiſſe videmur.

INSTI-

INSTITVTIONIS LOGICÆ

LIBER QVINTVS.

DE

FINIBVS VEL EFFECTIS SYLLOGISMORVM.

SIVE,

De ſyllogiſmo Didaſcalico & Dialectico.

CAPVT I.

Quid ſit ſcientia, & quid demonſtratio: & quotuplex ſit utraque.

I. *Ad inſtitutionis Logicæ conſummationem ſupereſt de finibus vel effectis*

Digitized by Google

ſyllogiſmorum dicamus Effecta ad quæ ſyllogiſmos comparari decet duo ſunt, nempe ſcientia, & opinio vera: quare ſyllogiſmus ratione effectorum alius eſt didaſcalicus ſive ἀποδεικτικὸς *quo verum demonſtratur & ſcitur, alius Dialecticus quo quid circa unamquamque rem veriſimile ſit & quid opinari oporteat perſpicitur.*

SYllogiſmus eſt inſtrumentum quo thema complexum tractandum eſt, ut in principio libri præcedentis docuimus. Thematis complexi ſive enunciationis notitia duplex eſt: una apprehenſiva, qua intelligimus τί τὸ λεγόμενον, id eſt, *quid ſit id quod enunciatur:* altera iudicativa, qua iudicamus eam veram eſſe aut falſam, ſive qua annuimus & aſſentimur, aut abnuimus & diſſentimus. Actus apprehendendi enunciationẽ Averroi appellatur *formatio*: iudicium quo eam amplectimur & aſſenſu noſtro dignamur *fides* dicitur. Exempli gratia, hanc enunciationem, *numerus arenæ vel ſtellarum eſt par*, apprehendo & mente concipio ſive intelligo τὸ λεγόμενον; Scio enim quid ſignificetur nomine *arenæ* aut *ſtellæ*, & qui numerus dicatur *par*, qui autem *impar:* ſed cum quæritur ſitne vera an falſa ἐπέχω, id eſt, iudicium de ea meum re-

tineo & ſuſpendo. Thema ſyllogiſmo tractandum partim notum, partim ignotum eſt: non enim poteſt tractari niſi mente præconceptum ſit & formatum; ſed fides (ſi opus eſt) per ſyllogiſmum facienda eſt. Generale ergo effectum ſyllogiſmi eſt fides ſive exiſtimatio : Sed exiſtimatio alia eſt vera, alia falſa; unde & ſyllogiſmus alius deducit ad veritatem, alius ad errorem. Ille vel eſt didaſcalicus, vel dialecticus, ut in aphoriſmo propoſito aſſeruimus; Hic autem ἀπατητικὸς, id eſt, *deceptorius* appellatur. Etſi verò error inter effecta ſyllogiſmi numerari poſſit, tamen inter fines cenſendus non eſt: quemadmodum licet medicina vitam quandoque extinguat, tamen ad generis humani ſalutem tanquam finem unicum comparata eſt. In propoſito igitur aphoriſmo eorum duntaxat ſyllogiſmi effectorum mentionem fecimus quę pariter etiam fines ſunt: Fines, reſpectu intentionis; effecta, reſpectu executionis: non enim poteſt idem eâdem ratione & finis eſſe, & effectum. Cæterum, iam loquor de finibus eſſentialibus ſyllogiſmorũ, non autem de finibus quos ſibi quivis in ſyllogiſmis ſtruendis proponere poteſt: quippe alius ſyllogiſmum adhibet ut doceat; alius ut decipiat, unde ἐριστικὸς, ἀπατητικὸς, & Σοφιστικὸς dicitur ; alius ut quid de quæſtione propoſita opinandum ſit perſpiciat; alius ut ſcientiæ alienæ experimentum capiat unde πειραστικὸς appellatur. Ariſt. 1. Top. c. 1. & c. 2. de Sophiſt. Elench. & c. 11. eiuſdem libri.

2. *Scientia quæ ſyllogiſmo comparari*

Digitized by Google

poteſt alia eſt τοῦ διότι, id eſt, qua ſcimus cur ita ſit, quæ & ſcientia ἁπλῶς appellatur: alia eſt τοῦ ὅτι, id eſt, qua ſcimus rem ita eſſe. Scientia τοῦ διότι eſt qua cognoſcimus cauſam propter quam res eſt eſſe eius rei cauſam, nec poſſe eam aliter ſe habere.

Perfectiſſimum in unoquoque genere eſt menſura cæterorum: quare nos primùm de ſcientia & ſyllogiſmo didaſcalico, deinde de opinione & ſyllogiſmo dialectico præcipiemus; non quòd nefarium ſcelus eſſe putemus ab ordine quem Ariſtoteles ſequutus eſt recedere (rerum enim ſcientiam multis, liberè autem Philoſophandi laudem nemini cedimus:) ſed quia in explicatione finium à poſtremo & præſtantiſſimo ordiendum eſt. *Scientia quæ ſyllogiſmo, &c.*) Scientiæ nomen quandoque latè ſumitur & impropriè pro qualibet veritatis notitia; quandoque ſtrictè magis & propriè pro firma & infallibili cognitione. Firma cognitio alia per ſenſum comparatur, ſcio enim id eſſe quod video: alia per intellectum, ut potè cum agitur de propoſitionibus univerſalibus, nam ſenſus ultra ſingularia non procedit. Scientia propoſitionum univerſalium alia abſque ſyllogiſmo obtinetur, ut cum propoſitiones fide dignas & luce ſua conſpicuas amplectimur & pleniſſimo aſſenſu dignas putamus; ut *omne totum eſt maius ſua parte,*

& *Deus eſt colendus*; nam ad aſſerendam harum propoſitionum veritatem nullo opus eſt ſyllogiſmo; quippe ex notitia terminorum ſimplicium ſatis eluceſcunt, & qui novit quid ſit *totum*, & quid *pars*, quid ſit *Deus*, & quid *colendum*, is harum propoſitionum veritatem ignorare non poteſt: vel acquiritur per ſyllogiſmum; nempe, cum propoſitiones egent alienâ luce ut conſpiciantur. Propoſitionum per ſe evidentium notitia à Peripateticis appellatur νοῦς, id eſt, *intelligentia*, ut ab ea ſcientia diſtinguatur quæ per ſyllogiſmum didaſcalicum acquiritur. *Alia eſt τὸ διότι &c.*) Quatuor ſunt quæſtiones ſcientiales, teſte Ariſt. 2. Poſt: Analyt. c. 1. εἰ ἔστι, τί ἐστι, ὅτι ἐστι, διότι ἐστι; id eſt, *An ſit, Quid ſit, An ita ſit, & Cur ita ſit* Harum queſtionum duæ priores dicuntur ſimplices, quia proponi poſſunt de termino quolibet ſimplici: ut *Eſt ne Phœnix? ſunt ne Pygmæi? &c* & *quid eſt phœnix? quid Pygmæus? &c.* prior enim de exiſtentia, poſterior de eſſentia ſive quidditate thematis ſimplicis proponitur. Duæ poſteriores dicuntur complexæ, quoniam moventur de complexione & cōiunctione terminorum, ſive de propoſitione; ut *vivitne phœnix tot ſecula quot vivere perhibetur?* & ſi tot ſæcula vivit, *cur tot ſæcula vivit?* omnes hæ quæſtiones nituntur præcognitione ſignificationis vocabulorum: non enim poteſt iniri diſputatio an ſit Phœnix, aut quid ſit, niſi præcognitâ nominis ſignificatione: nec diſputari poteſt, vivatne phœnix tot ſæcula, aut cur vivat tot ſæcula, niſi prius intelligatur quid ſit phœnicem vivere tot ſecula. Ergo τί τὸ λεγόμενον, id eſt, *quid ſit quod dicitur*, non eſt Logica quæſtio ſed præcog-

Digitized by Google

nitio in Logica thematis cuiuſlibet tractatione prorſus neceſſaria. Quæſtionem, *Quid ſit* antecedere debet notitia *An ſit*: & quæſtionem *Cur ita ſit*, notitia *An ita ſit*. Itaque ſolutâ quæſtione *cur ita ſit* nihil ſupereſt quod de propoſitionis veritate quæramus: at cognito *An ita ſit*, integra poteſt eſſe quæſtio *Cur ita ſit*. Itaque liquet cur ſcientia τοῦ διότι potius quàm ſcientia τοῦ ὅτι appelletur ſcientia ἁπλῶς, id eſt, ſimpliciter & abſolutè. *Scientia τοῦ διότι eſt qua, &c.*) Genus in definitione ſcientiæ τοῦ διότι eſt *cognitio*. Differentia qua diſtinguitur tam à ſcientia τοῦ ὅτι, quàm ab opinione, partim à qualitatibus & cõditionibus medii ſcientifici, partim à diſpoſitione quæ in animo ſcientis eſſe debet deſumpta eſt: Medii per quod ſcientia τοῦ διότι paratur, duæ ſunt conditiones: primò, ut ſit *cauſa* quæſiti: unde dici ſolet, *Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas*: itaque rei cognitio per effectum, aut adiunctum, aut aliud quodvis medium comparata non eſt ſcientia διότι. Secundò, ut ſit cauſa *propter quam res eſt*: id eſt, cauſa proxima, adæquata, & reciproca, quâ poſita res ponitur, & quà ſublata aufertur. Cum igitur unius rei plures ſint cauſæ, aliæ remotæ, aliæ propinquæ, aliæ reciprocæ, aliæ non reciprocæ, delectus adhibendus eſt, ut ſciamus *cur res ita ſit*. Ex parte animi ſcientis duæ quoque poſtulantur conditiones: Primò, oportet certò agnoſcere rei cauſam *eſſe eius cauſam*: nam qui cauſam rei tenet, & ſe eam tenere ignorat tam longè abeſt à ſcientia quàm ſi eam non teneret. Secundò, credere neceſſe eſt rem illam *non poſſe aliter ſe habere*, id eſt, fieri non poſſe ut poſita illa cauſa nõ po-

Digitized by Google

natur, aut eâ ſublatâ non tollatur; adeoque ſcientis animum ἀμετάπτωτον καὶ ἀμετάπειστον, id eſt, *immutabilem & nulla perſuaſione flexibilem*, eſſe oportet. Hanc ſcientiæ διότι definitionem tradit Ariſt. 1. Poſt. Analyt. c. 2.

3. ***Et cum inſtrumenta à finibus denominari par ſit, demonſtratio, ſive ſyllogiſmus ſcientificus, dividitur in demonſtrationem* τοῦ διότι, *quæ etiam* ἁπλῶς *&* κυρίως ἀπόδειξις *appellatur: & demonſtrationem* τοῦ ὅτι.**

Ἀπόδειξις ſive demonſtratio vocabulum eſt è Geometria trãſlatum quę propoſitionum ſuarum veritatem in diagrammate oculis ſpectandam exhibet: ei opponitur ψευδογράφημα, id eſt, *deſcriptio* vel *delineatio fallax*. Ita ſuperiori libro diximus nomen figuræ quod ſyllogiſmis aptatur è Geometria petitum eſſe. Cæterùm demonſtratio quandoque latè ſumitur pro qualibet probatione certa, & clara cui repugnari facile non poteſt: quandoque ſtrictè, & propriè, prout in præſentia dividitur in demonſtrationem *Cur ſit*, & demonſtrationem *Quòd ſit*, quarum conditiones ſigillatim infra exponemus. Dicitur autem demonſtratio alia τοῦ ὅτι alia τοῦ διότι non quod illa *An ita ſit*, hæc *Cur ita ſit* concludat: ſed quia huius medium ſatisfacit quæſtioni *Cur ſit*, non autem medium illius, vel quia ex huius minore ſimul & concluſione

contexitur reſponſio ad quæſtionem *cur ſit*, non autem ex minore & concluſione illius. Exempli gratia, hæc eſt demonſtratio τὸ διότι, *omne rationale eſt ſcientiarum capax, atqui omnis homo eſt rationalis, Ergo omnis homo eſt ſcientiarum capax*: Hæc autem concluſio eſt enunciatio ſimplex τὸ ὅτι, vel τὸ ὑπάρχειν, non autem cauſalis ſive τὸ διότι: propoſitio enim cauſalis ſive quæ explicat διότι ad hunc modum formanda eſſet *quia omnis homo eſt rationalis ideo omnis homo eſt ſcientiarum capax*: quæ quidem propoſitio contexta eſt ex minore & concluſione demonſtrationis διότι.

CAPUT II.

De demonſtratione τὸ διότι.

1. *Ad conſtitutionem demonſtrationis τὸ διότι duplices conſpirare oportet conditiones: quaſdam ex parte quæſtionis demonſtrandæ, alias ex parte principiorum per quæ demonſtranda eſt. Non omnis quæſtio fert demonſtrationem τὸ διότι, ſed ea demum quæ vera eſt & veritatis ſuæ certam cauſam habet: ac proinde ut fortuita demonſtrari non*

poſſunt, ita nec genus, nec differentia de ſpecie, nec definitio de definito. Quæ autem demonſtrationem fert ea à nobis demonſtrari nequit niſi præcognita ſit τί ὃ λεγόμενον.

PRopoſitio demonſtrabilis dupliciter ſpectari poteſt, Primò, per ſe & ex natura rei: Secundò cum reſpectu ad nos. Per ſe ſpectata duas habet conditiones: Primò debet eſſe *vera*, ὅτι οὐκ ἔστι τὸ μὴ ὂν ἐπίστασθαι, id eſt, *quia quod non eſt id ſciri nequit*, ut ait Ariſt. 1. Poſt. Analyt. c. 2. Secundò debet habere *certam ſuæ veritatis cauſam*, id eſt, medium quoddam quod cauſa ſit connexionis extremorum, ſive quæſiti cum ſubiecto quæſtionis. Sic igitur liquet duo eſſe propoſitionum genera quæ demonſtrationem τοῦ διότι prorſus reſpuant: Primum continet propoſitiones fortuitas quæ ita cõtingunt, ut à certa cauſa non dependeant: Secundum continet propoſitiones immediatas, id eſt, quæ extra ſe non habent ſuæ veritatis cauſam, quales ſunt prædicationes definitionis & partium eius de definito. Exempli gratia, hæc propoſitio, *homo eſt animal*, conſtat ex attributo quod tam arctè connexum eſt cum ſubiecto ut inter ipſum & ſubiectum nulla interveniat cauſa connexionis: nihil enim propinquius eſt rei quàm ſua ipſius eſſentia: ideoque *cur homo ſit animal* demonſtrari non poteſt. Reſpectu noſtri propoſitio quæ *Cur ſit* demonſtranda eſt præcognita eſſe debet quoad for-

mationem & apprehenſionem ſententiæ, ſive τὸ ὃ λεγόμενον. Nonnulli addunt oportere præcognoſci *An ſit* in rerum natura ſubiectum quæſtionis, & *Quid ſit*, quoniam exiſtimant ſubiectum cuiuſque demonſtrationis διότι eſſe ens neceſſarium: quod ego non admiſero.

2. *Ex dictis liquet duo eſſe genera quæſitorum quæ Cur ſint demonſtrari poſſint: primò enim omnia accidentia propria, deinde ex accidentibus communibus illa quæ certam & immutabilem habent cauſam de ſubiecto demonſtrari poſſunt.*

Non eſt ergo credendum illis Ariſtotelis interpretibus, qui ſolas rerum proprietates demonſtrationis διότι capaces eſſe contendunt. Certè Ariſtoteles diſertis verbis 1. poſt. Analyt. t. 65. & 2. poſt. Analyt. t. 67. & 68. & alibi paſſim fatetur dari demonſtrationes etiam τῶν πολλάκις γινομένων, id eſt, *eorum quæ ſæpe fiunt*, cuiuſmodi ſunt, eclipſis & tonitru: quis autem neſcit eclipſin lunæ, & tonitru nubis accidentia eſſe ſeparabilia? Quinetiam Ariſtotele tacente res ipſa clamat. Qui enim novit cauſam propter quam res eſt eſſe eius rei cauſam, nec poſſe rem aliter ſe habere quàm ſe habet eius cauſa, id eſt, eam ſi cauſa eſt, nō poſſe nō eſſe, & vice versâ, is habet ſcientiam τοῦ διότι: atqui pleraque accidentia, etiam ſeparabilia ſubiecto competunt

propter cauſam quandam qua poſitâ non poſſunt non eſſe, & qua ſublatâ non poſſunt ſupereſſe. Vt igitur accidens aliquod demonſtrari poſſit demõſtratione τῦ διότι, perinde eſt ſempetne & immutabiliter atque neceſſariò, an verò tantùm aliquando & contingenter ſubiecto conveniat, dùm cauſam ſuæ inhærentiæ habeat quam ſemper & neceſſariò ſequatur. Exempli gratia, etſi luna non ſemper patitur deliquium luminis à Sole accepti, tamen τὸ διότι, *deliquij luminis in luna*, ſciri poteſt & demonſtrari; quia cauſam habet propter quam lunæ competit, nempe *interpoſitionem Terræ inter Solem & Lunam*, nec poteſt Luna pati deliquium propter aliam cauſam, nec poteſt non pati deliquium poſitâ hac cauſa. Concluſio igitur demonſtrationis τῦ διότι debet eſſe æterna, id eſt, ſemper vera, non quidem ſimpliciter, quaſi attributum quod demonſtratur non poſſit unquam à ſubiecto abeſſe: ſed ex hypotheſi cauſæ per quam demonſtratur, quia abeſſe non poteſt à ſubiecto, dùm adſit cauſa illa per quam demonſtratur. Sed quicquid illud ſit quod de ſubiecto demonſtratur, certè ab Ariſt. appellari ſolet πάθος & πάθημα, id eſt, *affectio* vel *paſſio*. Cæterùm, hoc loco obſervandum eſt, demonſtrationem τῦ διότι aliam dici univerſalem, aliam particularem. Vniverſalis demonſtratio dicitur cum affectio de ſubiecto immediato & proximo demonſtratur; ut cùm *trina dimenſio* de *corpore* demonſtratur, nam corpus in genere eſt ſubiectum proximum adæquatum & immediatum trinæ dimenſionis, ſicut homo riſibilitatis. Particularis dicitur cùm affectio de ſubiecto me-

diato, ſive de parte ſubiecti proximi & immediati demonſtratur: ut, ſi *trina dimenſio* de *animali* demonſtraretur fieretque hæc concluſio, *omne animal habet trinam dimenſionem*: nam animal non eſt ſubiectum immediatum & proximum trinæ dimenſionis, ſed eſt tantùm ſpecies proximi & immediati ſubiecti nempe corporis. Nitendum ſemper demonſtrare affectiones de ſubiectis quibus proximè, immediatè, & primò competunt, ut præcipit Ariſt. 1. Poſt. Analyt. c. 5.

3. *Conditiones principiorum ſive propoſitionum in demonſtratione τοῦ διότι præmittendarum aliæ ſunt abſolutæ, id eſt, quæ illis competunt abſolutè ſpectatis: aliæ relativæ, id eſt quæ illis competunt cum reſpectu ad concluſionem demonſtrandam. Abſolutæ conditiones duæ ſunt: primò ſint vera in ſummo neceſſitatis gradu: ſecundò ſint immediata vel prima. In propoſitione maiore, utpote quæ magis principium eſt, utramque eſſe oportet: minorem, dum vera ſit, non opus eſt eſſe neceſſariam, & immediatam.*

De gradibus neceſſitatis propoſitionum vide

lib. 2. c. 4. Vno verbo, ſummam neceſſitatem habet propoſitio reciproca, atqui niſi principia demonſtrationis reciproca ſint non poterit comparari ſcientia τῦ διότι, qui enim ſcit διότι, is cauſam cognoſcit propter quam res eſt, id eſt, reciprocam, ut antè interpretati ſumus. Propoſitio immediata & prima duobus modis dicitur, nimirùm reſpectu ſubiecti, & reſpectu cauſæ. Reſpectu ſubiecti propoſitio prima & immediata dicitur in qua affectio prædicatur de ſubiecto immediato, ut ſupra diximus; adeoque hoc ſenſu etiam concluſio demonſtrationis immediata eſt. Reſpectu cauſæ immediata dicitur quæ non habet extra ſe cauſam ſuæ veritatis, ſive cuius attributum ita competit ſubiecto ut non poſſit reddi cauſa cur ei competat: atque hoc ſenſu iam dicimus principia demonſtrationis eſſe immediata. Niſi autem darentur principia immediata, certè daretur progreſſus in infinitum adeoque nulla obtineri poſſet ſcientia. Quod enim demonſtrabile eſt & veritatis ſuæ cauſam extra ſe habet, illud perfectè non ſcitur antequàm per cauſam ſuæ veritatis demonſtretur: ſi igitur unius demonſtrationis principia demonſtrari poſſent per alia priora, & illa pariter per alia, ut numquàm perveniri queat ad propoſitiones immediatas, evidentes, αὐτοπίστους, & quarum rationem quærere nihil aliud ſit quàm ad ſolem cernendum lucernam accendere, nullum utique dari poſſet ſciendi initium. Iam verò quod dicimus *propoſitiones immediatas demonſtrari non poſſe*, id intelligendum eſt de demonſtratione τῦ διότι, ſive quę eſt per cauſam adæquatam: non enim inſituandum

eſt eas poſſe demonſtrari demonſtratione τῦ ὅτι, ut infrà docebimus. Propoſitio maior in demonſtratione τῦ διότι magis eſt principium, quia conſtat ex affectione demonſtranda & ex medio per quod demonſtratur, quo poſito non poteſt non ineſſe ſubiecto, & quo ſublato non poteſt non abeſſe ab eo. Exemplum demonſtrationis τῦ διότι cuius minor vera eſt aliquando tantùm hoc eſto: *Inter quod & Solem interponitur terra illud patitur deliquium luminis à Sole accepti, Atqui inter Solem & Lunam interponitur terra, Ergo Luna patitur deliquium luminis à Sole accepti:* terra enim non ſemper inter Solem & Lunam interponitur, ſed tum demùm cum luna patitur Eclipſim. Vno verbo, in demonſtratione accidẽtis ſeparabilis minor ita vera eſt ut tamẽ falſa eſſe poſſit; nẽpe cum concluſio falſa fuerit. In aliis demonſtrationibus τῦ διότι minor ſempiternæ veritatis eſt, & ſummum tenet neceſſitatis gradum, non tamen immediata eſt: ut, *Quod trinâ dimenſione præditum eſt ita locum occupat ut aliud trina dimenſione præditum non poſſit ibidem eſſe niſi illud ceſſerit; Atqui omne corpus trina dimenſione præditum eſt; Ergo omne corpus ita locum occupat ut niſi ceſſerit, non poſſit aliud corpus ibidem eſſe:* minor enim hæc demonſtrabilis eſt ad hunc modum, *Quod compoſitum eſt ex materia & forma id trina dimenſione præditum eſt; Atqui omne corpus compoſitum eſt ex materia & forma, Ergò omne corpus trina dimenſione præditum eſt.* At ultimæ huius demonſtrationis tam minor quàm maior immediata eſt, hæc enim eſt ipſiſſima definitio corporis, *Corpus eſt ſubſtantia compoſita ex materia & forma.* Sed

Digitized by Google

propoſitio quæ ipſa demonſtrabilis eſt, non adhibetur tanquam principium demonſtrationis niſi prius demonſtrata ſit: poſtquam verò demonſtrata eſt cenſetur quaſi immediata: quid enim refert fueritne ſemper indemonſtrabilis, an non, modò cum adhibetur in alterius demonſtratione non ſit ipſa demonſtrationis indiga?

4. *Propoſitio immediata vel eſt axioma vel theſis. Axioma eſt propoſitio immediata quam nemo non tenet cum ad diſciplinam animum appellit. Theſis eſt quam à diſcipulo teneri non neceſſe eſt antequam à præceptore proponitur: & dividitur in definitionem & hypotheſin. Definitione quid ſit res; hypotheſi, an ſit enunciamus.*

De axiomate repete quæ diximus in explicatione 1. Aphor: c. 1. lib. 2. Eius definitio ab Ariſt. 1. poſt. Analyt. cap. 10. t. 77. hoc pacto tradita eſt: ὃ ἀνάγκη εἶναι δι' αὑτὸ καὶ δοκεῖν ἀνάγκη, id eſt, *quod neceſſe eſt eſſe per ſe, & videri neceſſe eſt*. Per ſe neceſſe eſt eſſe, id eſt, quod αὐτόπιστον eſt & non habet veritatis ſuæ cauſam externam, & hoc commune eſt axiomati cum cæteris propoſitionibus immediatis, ut iam aliquoties inculcavimus. Quemadmodum enim corpora quædam non egent externa luce ut cer-

nantur, cuiuſmodi ſunt ignis & ſtellæ; Alia cerni nequeunt niſi externo lumine illuſtrentur, cuiuſmodi ſunt colorata fere omnia: ita propoſitionum ſumma neceſſitate præditarum aliæ inſitam habent evidentiam, aliæ ut ſciantur demonſtratione egent. *Et videri neceſſe eſt*, id eſt, quod ex animo & ſeriò à nemine negari poteſt uſum rationis habente, adeoque cuius notitia naturâ duce citra doctoris operam comparatur: & in hoc differunt axiomata â theſibus ut loco iam laudato & c. 2. eiuſdem libri reſtatur Ariſtoteles: Theſes enim plæræque, etſi demonſtratione non egeant, ignorari tamen à diſcipulo poſſunt antequam à præceptore proferunrur & illuſtrantur: ut enim Sol inter cætera alienæ lucis non indiga; ita inter propoſitiones αὐτοπίστως fulgent axiomata. Exempla axiomatum hæc ſint, *Nihil poteſt ſimul eſſe & non eſſe; Omne totum eſt maius ſua parte; quod eſt maius maiori eſt maius minori; quæ ſunt æqualia eidem tertio inter ſe quoque æqualia ſunt*. Nomen *Theſis* in Dialectica aliter ſumitur, nempe pro ſententia paradoxa nobilis cuiuſdam Philoſophi, ut definitur ab Ariſt. 1. Topic. cap. 11. immò nonnumquam generaliùs uſurpatur pro omni propoſitione quæ in utramque partem diſputanda exhibetur, ſive dubia ſit & haud ſatis exploratæ veritatis, ſive exercitationis gratia ut nihil fugiat quod adverſus eam à quoquã dici queat. Exempla definitionum in medium afferre nihil neceſſe eſt. Exempla hypotheſium ex qualibet diſciplina depromere facilè eſt: In Arithmetica hypotheſis eſt, *unitatem eſſe*; in Geometria, *inter qualibet duo puncta poſſe duci rectam lineam*: in Phyſica,

Phyſica, *eſſe corpus naturale, & eſſe motum*; in Theologia, *Deum eſſe, &c.* Quædam hypotheſes tam evidentes ſunt quàm axiomata: axioma ergo à theſi non diſtinguitur eo quod nulla ſit theſis quæ ignorari non poſſit antequàm à præceptore proponitur, ſed quòd tanta evidentia axiomati neceſſaria ſit & eſſentialis, theſi vero contingenter tantùm inſit.

5. *Relativæ principiorum conditiones ſunt tres: ſint priora, ſint notiora concluſione, & ſint eius cauſæ. Hæ conditiones non tantùm propoſitioni maiori, ſed etiam minori inſint neceſſe eſt.*

Sint priora) ut in Demonſtratione τὸ διότι propoſitiones præmiſſæ ſe habent ad concluſionem, ita medium ad affectionem de ſubiecto demonſtrandam: quare hæ conditiones & propoſitionibus, & medio Demonſtrationis ſuo modo cõveniunt. Medium prius eſt affectione demonſtrandâ, non tempore, nam medium eſt cauſa affectionis reciproca, eoque poſito ponitur affectio, & ſublato aufertur: ſed naturâ, quia ab eo affectio ſecundum naturam ſuam dependet. Similiter propoſitiones in quibus medium cum affectione demonſtranda & cum ſubiecto coniungitur veritatem obtinent non tempore, ſed naturâ priorem veritate concluſionis. *Sint notiora*) Notius unum altero dici poteſt, vel ſimpliciter & ſecundum propriam natu-

Digitized by Google

ram, vel ſecundùm quid & reſpectu ruditatis noſtræ. Simpliciter & quoad naturam cauſæ effectis ſuis, & univerſalia ſingularibus ſenſibilibus notiora ſunt; notius enim ſecundum naturam eſt quod diſtinctè, perfectè, & eo modo quo eſt cognoſci poteſt ſine altero, alterum autem non ſine eo. Secundùm quid & habita ratione captus noſtri plerumque effecta cauſis ſuis notiora ſunt, omnino enim quod ſenſibus ſubiectum eſt id habita ratione primi & rudis noſtri captus qui ſenſuum miniſterio utimur notius eſt; ſic ferrum à magnete trahi ſenſu cognoſcimus, ſed cauſam ignoramus. Principia Demonſtrationis concluſione notiora ſunt quoad propriam naturam, adeoque quoad diſtinctam & perfectam cognitionem, quia *ut ſe habet res in eſſe, ita quoque in cognoſci*. Ante demonſtrationem ſufficit apprehendere ſenſum concluſionis: ſed principia plenâ fide & aſſenſu amplecti oportet, alioqui per principia non generabitur perfecta ſcientia concluſionis: per quod enim aliquid eſt tale idipſum eſt magis tale, atqui per principia concluſio ſcitur, Ergo principia magis ſciuntur. *Et ſint eius cauſæ.*) Principia debent eſſe cauſæ non tantùm cognoſcendi concluſionem, ſed etiam cur concluſio ſit vera. Sæpe enim effecta ſunt cauſæ cognoſcendi ſuas cauſas: ut cum evigilans ex radiis Solis per feneſtram immiſſis cognoſcit ortum eſſe Solem, vel cum ex fumo cognoſcimus ſuppoſitum eſſe ignem; non tamen quia radii per feneſtram immiſſi ſunt ideo Sol ortus eſt, ſed quia Sol ortus eſt ideo radii per feneſtram intrant: nec quia fumus eſt ideo ignis eſt, ſed quia ignis eſt ideo fu-

mus eſt. Vt propoſitiones præmiſſæ ſint cauſæ cur vera ſit concluſio oportet medium eſſe cauſam affectionis demonſtrandæ.

6. *Etſi verò quorundam principiorum notitiam à magiſtro non accepimus, ſed domo nobiscum ad ſcholas attulimus, qualia ſunt axiomata; tamen exiſtimandum non eſt eam nobis naſcentibus inſitam eſſe: quippe ſingularium ſenſibilium inductione inchoatur, & propriâ mentis vi conſummatur.*

Sunt qui contendant nobis naſcentibus inſitas eſſe quaſdam κοινὰς ἐννοίας, id eſt, *communes notiones* veri & falſi, boni & mali: at ego cum Ariſt. 3. de Anima c. 4. exiſtimo hominis cuiuſque naſcentis animum eſſe ad inſtar γραμματεῖον ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον, id eſt, *tabulæ cui nihil actu inſcriptum eſt*, communes autem notiones ſive axiomata colligi ex ſingularibus ſenſu perceptis, ut luculenter idem Philoſophus docet 2. poſt. Analyt. c. ultimo. Exempli gratia, notitiam huius axiomatis *omne totum eſt maius ſua parte*, ex utero materno non attulimus, ſed auxilio ſenſuum collegimus, & quaſi cum lacte hauſimus. Quod qua ratione contigerit dictu facile eſt: puer enim oſtenſum à matre pomum forſitan poſcit: illa ſe negat daturam totum, arreptoque cultro ſecat, & puero

ait, hem tibi dimidium: ille videt quod illa *totum* appellat maius eſſe eo quod appellat *dimidium*, & in memoria reponit: ſimile pluries accidit: & ex multarum perceptionum memoria colligit notionem communem, *Totum eſt maius ſua parte*. Cæterum, notitia principiorum inchoatur, ſed non abſoluitur, inductione: licet enim inductione compertum ſit hanc propoſitionē, *totum eſt maius ſuâ parte*, univerſaliter & ſine exceptione veram eſſe, tamen, ut eius neceſſitas & nexus terminorum eſſentialis agnoſcatur, accedere neceſſe eſt propriam mentis vim terminos inter ſe comparantis: & ut oculus cernit corpus lucidum, ita mens inſitâ δυνάμει, terminos propoſitionis immediatæ ad ſe mutuò comparatos eſſentialiter & immediatè cohærere intelligit, unde eſt quod habitus principiorum ab Ariſt. donatus ſit nomine Νοῦς, quod mentem ipſam ſignificat.

7. *Medium demonſtrationis τοῦ διότι debet eſſe cauſa affectionis reciproca & proxima, & vel in genere efficientis, vel finis: Sed non eſt neceſſe ut ſit cauſa ſubiecti in ullo cauſæ genere.*

De cauſarum generibus conſule lib. 1. cap. 12. Totus autem hic Aphoriſmus conſpicuus evadet inductione exemplorum. Sit primum exemplum: *Omne rationale eſt ſcientiarum capax*: *Atqui omnis homo eſt rationalis*: *Ergo omnis homo eſt ſcientiarum*

capax: medium *rationale* eſt cauſa efficiens capacitatis ſcientiarum, & deſumptum eſt à forma hominis. Secundum exemplum: *Quicquid conſtat ex materia & forma trinam habet dimenſionem: Atqui omne corpus conſtat ex materia & forma: Ergo omne corpus habet trinam dimenſionem:* hîc quoque medium eſt affectionis cauſa efficiens, ſed deſumptum eſt partim à materia partim à forma ſubiecti. Tertium Exemplum: *Omnis Syllogiſmus comparatus ad gignendam ſcientiam τοῦ διότι conſtare debet ex principiis neceſſariò veris, immediatis, concluſione prioribus, & notioribus, & quæ ſint cauſæ concluſionis: Atqui demonſtratio τοῦ διότι eſt ſyllogiſmus comparatus ad gignendam ſcientiam τοῦ διότι: Ergo conſtat ex principiis neceſſariò veris, etc.* Medium huius demonſtrationis eſt cauſa finalis tam ſubiecti, quàm affectionis: nam ſcientia eſt finis Demonſtrationis ſimul & conditionum quæ eius principiis competunt. Tale prorſus eſt hoc quartum Exemplum: *Quod comparatum eſt ut ſcindat, id ex materia dura & quæ malleo ductilis ſit confici debet: atqui culter comparatus eſt ut ſcindat: Ergo ex materia dura quæ malleo ductilis ſit,* quale eſt ferrum, *confici debet.* Quintum Exemplum: *Quod trina dimenſione præditum eſt non admittit ullum aliud corpus in eodem loco ſecum: Atqui omne corpus præditum eſt trina dimenſione: Ergo omne corpus, etc.* Hîc medium eſt efficiens affectionis, & proprietas ſubiecti. Sextum Exemplum: *Inter quod et Solem interponitur terra, illud amittit lumen a Sole acceptum: Atqui inter Lunam & Solem interponitur terra: Ergo Luna amittit lumen à Sole acceptum:* interpoſitio terræ inter So-

lem & Lunam eſt efficiēs Ecclipſis vel deliquii luminis in Luna, non eſt tamen ullo modo cauſa ipſius lunæ, immò nec lunæ accidens eſt ſed terræ. Sed quoniam omnia exempla hactenus producta affirmativa ſunt, eſto iam exemplum Demonſtrationis τοῦ διότι negantis: *Quicquid reſpirat habet pulmones, Atqui arbor non habet pulmones, Ergo arbor non reſpirat*: τὸ διότι enim huius concluſionis, *Arbor non reſpirat*, eſt quia non habet pulmones: Cum enim affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis, & vice versâ, teſte Ariſt. 1. poſt. Analyt. t. 99. quoniam igitur habere pulmones eſt cauſa proxima potentiæ reſpirationis, non habere pulmones eſt cauſa proxima non habendi potentiam reſpirationis. Talis eſt & hæc Demonſtratio: *Omne ſcientiarum capax eſt rationale, Atqui nulla beſtia eſt rationalis, Ergo nulla beſtia eſt ſcientiarum capax.*

8. *Ex Demonſtratione affirmante τοῦ διότι ad prædictas regulas conformatâ elici poteſt definitio ſolida & perfecta affectionis demonſtratæ.*

Quippe Definitio perfecta accidentis componitur ex genere, ſubiecto, & cauſa efficiente, vel finali, adæquata & reciproca, atque proxima, ut lib. 3. c. 2. Aphor. 5. Atqui in Demonſtratione τοῦ διότι habetur ſubiectum proximum & cauſa proxima affectionis demonſtratæ: inſuper eius

genus aut expreſsè nominatur in concluſione, (ut cùm in Demonſtratione Eccliפſeos de luna vice nominis *Ecclipſis* pono *deliquium* vel *privationem luminis*, & in Demonſtratione tonitrus pro ipſo nomine βροντῇ adhibeo genus cum ſubiecto, quod eſt ψόφος ἐν νέφει, ſive, *ſonus in nube*:) aut ſaltem præcognitum eſt & ſubauditum, quia (ut ſuprà diximus,) concluſio demonſtranda demonſtraturo præcognita eſſe debet per apprehenſionem ſententiæ ſive τὸ λεγόμενον; Atqui hoc contingere non poteſt niſi genus affectionis præcognitum ſit. Demonſtratio igitur affirmans τοῦ διότι à definitione perfecta nō differt niſi τῇ θέσει, vel τῇ πτώσει id eſt *ſitu* vel diſpoſitione partium & *terminatione*, ut ait Ariſt. 2. poſt. Analyt. t. 45. & 46. nam quod primum collocatur in Demonſtratione, id in definitione ultimum eſt, & vice versâ: In Demonſtratione enim Eclipſis ordior ab eius cauſa; ſed eius definitio in cauſam deſinere debet, hoc pacto; *Eclipſis eſt deliquium luminis ſolaris in luna propter interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam.*

9. *Vt Syllogiſmus in quo ſunt omnes prædictę conditiones ſcientiam* τοῦ διότι *parit, ita qui eas mentitur errore & ignorantia pravæ diſpoſitionis animum implicat.*

Ignorantia gemina eſt: una puræ negationis, vel κατ᾽ ἀπόφασιν: altera pravæ diſpoſitionis, vel

κατὰ διάθεσιν λεγομένη, teſte Ariſt. 1. poſt. Analyt. t. 109. Illa animo competit τῷ μὴ ἔχειν, hęc τῷ φαύλως ἔχειν, ut idem loquitur eodem libro t. 89. Syllogiſmus qui ex propoſitionibus falſis conſtat, ſed nomen & cõditiones demonſtrationis mentitur, quandoque appellatur ab Ariſt ψευδογράφημα, ut antè notavimus, quandoque verò συλλογισμὸς τῆς ἐναντίας ἀπάτης, id eſt, ſyllogiſmus contrariæ deceptionis: quia pura ignorantia ſcientiæ opponitur ut privatio, ſed ignorantia pravæ diſpoſitionis, vel obfirmatus in animo error, ut contrarium.

CAPVT III.

De Demonſtratione τοῦ ὅτι.

1. *Demonſtratio τοῦ ὅτι alia eſt per effectum, alia verò per cauſam remotam. Demonſtratione per effectum utimur cum τὸ ὅτι effecti manifeſtum eſt & ſenſibile, ſed τὸ ὅτι cauſæ occultum. Atque hoc Demonſtrationis genere proceditur in ſcientiarum inventione: poſtquam autem τὸ ὅτι cauſæ cognitum eſt inſtituitur comparatio cauſæ cum effecto: &, ut primùm mens inſitâ ſibi vi illam cau-*

ſam eſſe & hoc effectum eſſe comperit, fit regreſſus à cauſa ad effectum per Demonſtrationem τὸ διότι.

De Demonſtratione τὸ ὅτι conſule Ariſt. 1. Poſt. Analyt. à t. 95. uſque ad 103. Si quis ad medium uſque diem ſtertit, & experrectus adverſum parietem à Sole irradiatum cernit, illicò colligit Solem iamdudum ſupra horizontem eſſe: Eſt autem hæc Demonſtratio τοῦ ὅτι cauſæ per effectum ſenſibile. Talis eſt & hęc demonſtratio: *pulſus arteria inæqualis eſt; Ergo febris eſt, aut alia quædam ſanguinis & ſpirituum perturbatio: Itē Arbor folia emittit, Ergo vivit: Luna accipit incrementa luminis in parte nobis obverſa per ſegmenta circuli; Ergo luna eſt globoſa non autem plana.* Omitto enim maiorem propoſitionem gratia brevitatis. Poſtquam autem hac ratione exploratum eſt τὸ ὅτι cauſæ, quam adhuc cauſam eſſe ignoramus, ſubit diligens & accurata eius cum effecto cōparatio, qua fit ut mens propriâ vi & ſine medio aſſumpto agnoſcat cauſam eſſe illius effecti cauſam adæquatam, reciprocam & proximam: unde demùm revertimur ad effectum per demonſtrationem τὸ διότι. Vt enim in ultimo exemplorum productorum hæreamus, quia ſenſu notum eſt faciem lunæ nobis obverſam incrementa luminis ſumere per arcus vel portiones circuli (primum enim videtur eſſe falcata, inde dimidiata, poſt gibba utrinque & prætumida, tandem pleno orbe fulget,) cœperunt viri ingenioſi & ſolertes animadvertere, quod non videtur, lu-

Digitized by Google

nam non eſſe planam ſed globoſam & undique convexam: ſi enim plana eſſet quid prohiberet totam eius faciem prima φάσεως vel apparitionis die à Sole illuſtrari? ſic igitur compertum eſt Lunam eſſe globoſam: Acceſſit deinde comparatio figuræ globoſæ cum illa affectione variabilis apparitionis, & animadverterunt non aliam illius cauſam eſſe poſſe quàm quod luna ſit globoſa: hoc comperto redierunt eò unde digreſſi fuerant, & cuius τὸ ὅτι ab initio certum erat eius τὸ διότι hunc in modum demonſtrarunt: *Sydus globoſum, quod accipit lumen à Sole, in converſione mutat faciem illuſtratam per arcus circuli: Atqui luna eſt Sydus globoſum accipiens lumen à Sole: Ergo mutat faciem illuſtratam per arcus.*

2. *Per cauſam remotam τὸ ὅτι effecti demonſtramus cum eius cauſa proxima & immediata nos latet: Atque hoc Demonſtrationis genus negativum eſt & in ſecunda figura ſtrui amat, quia non ſi eſt cauſa remotior idcircò effectum eſſe neceſſe eſt.*

Exempli gratia, hæc eſt Demonſtratio per cauſam remotam: *Quicquid reſpirat animal eſt, ſive animam ſenſitivam habet: Atqui arbor animam ſenſitivam non habet, Ergo arbor non reſpirat.* Medium enim nempe *anima ſenſitiva* eſt tantùm cauſa re-

Digitized by Google

mota reſpirationis;nam pulmones ſunt cauſa proxima, ut ſuprà diximus. hanc autem Demonſtrationem non eſſe τοῦ διότι ſed tantùm τοῦ ὅτι ita conſtat, Si negatio eſſet τὸ διότι negationis certè affirmatio eſſet τὸ διότι affirmationis (ut antè notavimus) Atqui habere animam ſenſitivam non eſt τὸ διότι reſpirationis, non enim omne animal reſpirat. Ita Anacharſis interrogatus cur apud Scythas non eſſent tibicinæ ut in Græcia, reſpōdit quia in Scythia non ſunt vites, ſignificare volens tibicinas eſſe ex ebrietate: Syllogiſmus τοῦ διότι hic eſſe debuerat, *Tibicinæ ſunt ebriæ, apud Scythas nullæ ſunt ebriæ, Ergo &c.* At Anacharſis reſpondit per cauſam remotam; vites enim ſunt cauſa vini, vinum immodicè ſumptum ebrietatis, ebrietas mulieres effecit tibicinas.

CAPVT IIII.

De Natura Syllogiſmi Dialectici

1. *Hactenus de ſyllogiſmo ſcientifico, cuius uſus eſt inter docendum: Deinceps de ſyllogiſmo Dialectico, vel ſufficiente ad opinionem, præcipiendum eſt; cuius uſus eſt in diſquirendo utri contradictionis parti ſit aſſentiendum. Namq, is demum huius inſtrumenti peritus eſt*

qui in utramque partem contradictionis potis eſt afferre quod verum eſſe videtur, & diluere quod non eſt neceſſarium.

S*Vfficiente ad opinionem.*) Opinio variè uſurpatur: nonnunquam generaliter pro quavis exiſtimatione, & ita ſcientiam etiam comprehendit: Aliâs opinio dicitur aſſenſus infirmus & dubitationi mixtus; aliâs omnem perſuaſionem ſyllogiſmo non demonſtrativo generatam ſignificat, ſive ea dubitationi mixta ſit, ſive non. Etſi enim ſyllogiſmus non demonſtrativus aſſenſum elicere poſſit purum & dubitationis expertem, tamen propter naturam medii ille aſſenſus dici poteſt opinio: Et poſtremo hoc ſenſu à nobis iam ſumitur. Cæterũ nomen *Dialectica* iam ſtrictè ſumitur ut τὸ διὰ vim habet denotandi tranſitum & vices ſermonis, non autem generaliter pro tota Logica, vide Proleg. c. 3. *Cuius uſus eſt in diſquirendo.*) Hic eſt ſyllogiſmi Dialectici finis præcipuus, ſed non unicus. Eius enim uſus quadruplex omnino notari poteſt: vnus in quotidiana converſatione, quia per eum cum omni hominum ſorte & conditione ſermones ultro citroque ſerere poſſumus convenienter & appoſitè ad id quod in quæſtione eſt, & ad eorum captum. Secundus eſt, ad exercitationem ſcholaſticam animi acuendi & iudicii confirmandi gratia. Tertius eſt, ut ſi forte prima ſcientiarum principia quæ indemonſtrabilia ſunt à præfracto

& impudente aliquo negentur, poſſint vel ex illis quæ eum non eſſe negaturum ſcimus, confirmari: non quod principia his rationibus indigeant, ſed quia nos indigemus, ut adverſarii impudentiam retundamus. Quartus eſt ut quæſtione difficili in contrarias partes diſputatâ.& libratis quæ utrinq; ſunt rationibus, eam eligamus quæ præponderat. Atque hic uſus præcipuus eſt. *Namque is demum, &c.*) Sic differt Dialecticus vel diſputator à demonſtratore & doctore. Demonſtrator non accingit ſe ad probandam utramlibet partem contradictionis, ſed eam ſolùm quæ vera eſt: Dialecticus autem eſt ἀμφοτερόγλωσσος & aſtruere nititur quidquid adverſarius negaverit, & deſtruere quidquid idem affirmaverit: quare propoſitio Demonſtrativa ab Ariſt. 1. prior. Analyt. c. 1. dicitur λῆψις θατέρου μορίου τῆς ἀντιφάσεως, id eſt, *ſumptio alterius partis contradictionis*, nempe eius quæ neceſſaria eſt: Dialectica autem ἐρώτησις τῆς ἀντιφάσεως, id eſt, *interrogatio contradictionis*. Eſt enim ἐρώτησις alia πευσματική, id eſt, *percontatoria* vel *ſciſcitativa*, ut *quid eſt*, *quotuplex eſt*, *unde eſt*, *quale eſt*, *&c.* Alia διαλεκτική, quæ eſt contradictionis, ut *eſt ne ſic*, *an non eſt?* ad quam reſpondemus per *ita*, aut *non*. *Et diluere quod non eſt, &c.*) Peritia diſquirendi duabus conſtat partibus: prima eſt afferendi pro utravis parte contradictionis quidquid verum eſſe videtur: altera eſt diluendi quæ ab aliis contra afferuntur, ideoque Ariſtoteles in ipſo limine primi Topic. doctrinam Dialecticam definit μέθοδον ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων, καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες μηθὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον, id eſt, *methodum per*

quam poterimus argumentari de omni propoſito problemate ex probabilibus: & ipſi diſputationem ſuſtinentes nihil dicemus repugnans.

2. *Vt ad demonſtrationis, ita quoque ad ſyllogiſmi Dialectici conſtitutionem duplices obſervandæ ſunt conditiones: quædam ex parte quæſtionis probandæ, aliæ ex parte principiorum. Quæſtio Dialectico ſyllogiſmo probanda appellatur problema, quod tale ſit oportet ut de eo ambigere & ſic vel ſecus opinari nefas non ſit: poteſtque confici ex rebus cuilibet arti aut ſcientiæ ſubiectis.*

Quod tale ſit oportet.) Sic Ariſt. 1. Topic. c. 11. Non omne, inquit, problema nec omnē theſin conſiderare decet, ſed eam de qua dubitare poſſit τὶς τῶν λόγου δεομένων, ϗ μὴ κολάσεως ἢ αἰσθήσεως, *id eſt, quiſpiam eorum adverſus quos ratione agendum eſt, non ſupplicio aut ſenſus teſtimonio.* Si quis enim dubitet an Deus ſit colendus, aut an parentes obſervandi, ille ſupplicio dignus ſit, non autem argumentatione Dialectica: Item qui tuendam ſuſciperet hanc theſin, nivem non eſſe albam, aut nihil moveri, non Dialectica ratione, ſed ſenſus teſtimonio, refutandis eſſet, ut feciſſe perhibēt aliquem Philoſophorum, qui, cum Zeno nihil moveri poſſe

affirmaret, ſurrexit & ambulavit. Ergo nihil refert ſitne id quod ſyllogiſmo Dialectico probandum ſuſcipitur neceſſariũ an contingens, probabile an paradoxon, verum an falſum, dũ nec ſit cõtra bonos mores, nec contra ſenſum communem. *Poteſtque confici ex rebus.*) Quippe Dialecticus tranſmittit diſputationem per omnia entium genera teſte Ariſt. 1. poſt. Analyt. t. 85. & alibi ſæpe, ideoque Logicam diſciplinam generalem vocavimus in Proleg. ad Aphor. 2. c. 3. Ariſtoteles 1. Top. c. 11. & 14. tria tantùm enumerat problematum Dialecticorum genera: ait enim alia eſſe Ethica, ut *an voluptas ſit ſummum bonum:* alia Phyſica, ut *An ſol ſit maior terrâ:* Alia Logica, ut *An detur quarta figura ſyllogiſmorum:* non quòd nulla præterea dentur, ſed quia reſpexit tantùm ad receptam Philoſophiæ partitionem, in Naturalem, Moralem, & Rationalem, de qua vide Prolegomena.

3. *Propoſitiones quæ in ſyllogiſmo Dialectico præmittuntur debent eſſe probabiles. Eſt autem probabile quod probatur aut omnibus, aut pleriſque, aut ſapientibus; & his aut omnibus, aut pleriſque, aut ſaltem clariſſimis, dum non ſit à communi cæterorum hominum opinione prorſus alienum.*

Hæc definitio τοῦ ἐνδόξου, id eſt, eius quod probabile eſt, (cui contrariũ eſt τὸ παράδοξον, id eſt, quod eſt

contra opinionem hominum) deprompta eſt ex Ariſt. 1. topic.c. 1. & c.10. Ergo propoſitiones ſyllogiſmi Dialectici non eo differunt à principiis demonſtrationis, quòd nullum principium demonſtrationis ſumatur in ſyllogiſmo Dialectico, & nulla propoſitio dialectica in Demonſtratione: nam axiomata & omnes fere propoſitiones immediatæ probabiles ſunt;ſed quòd in propoſitionibus ſyllogiſmi Dialectici, quatenus ſunt in ſyllogiſmo Dialectico, nihil ſpectatur præter probabilitatem: Dialecticus enim non eſt ſollicitus de propoſitionibus immediatis & neceſſariis, ſed promiſcuè & ſine diſcrimine utitur tam contingentibus, quàm neceſſariis, dum probabiles ſint. Propoſitionum autem probabilium aliæ neceſſariæ ſunt, aliæ contingentes & nonnunquam falſæ: ut hæc propoſitio *matres diligunt liberos ſuos*, ab omnibus hominibus creditur: quædam tamē matres liberos ſuos oderunt & neci dederunt. Propoſitionum quoq; neceſſariarum aliæ probabiles ſunt; aliæ paradoxæ & quæ prolatæ fortè nulli mortali veræ eſſe viderentur, ut ſunt myſteria quædam Chriſtianæ fidei quæ fidem naturalem exuperant.

CAPVT V.

De Inventione Medij Dialectici, ſive de Locis & Maximis.

1. *Sed quia aliquis non ignarus condi-*

tionum

tionum quæ in ſyllogiſmi Dialectici propoſitionibus ſint neceſſe eſt, & inopiâ argumentorum laborare poteſt, & licet argumenta ſuppetiãt, in ipſo tamen conflictu malè ſe gerere, adverſus utrumq; periculum deinceps eum munire oportet. Inventio argumentorum certo Locorum numero, & Maximarum quæ circa eos ſunt conſideratione juvatur. Eſt enim Locus nota quædam communis cuius inſpectione argumenta facilius inveniri poſſunt. Maxima eſt propoſitio qua nulla datur in Dialecticis maior & prior: ſuntque circa unumquemque locum plures Maximæ.

Nomen *Loci* accipi poteſt vel pro Maxima, vel pro Maximarum differentia. Pro Maxima, ut ſi has propoſitiones appelles locos, *Cui competit definitio ei competit definitum, De quocunque prædicatur ſpecies de eodem prædicatur Genus, qualis eſt cauſa tale eſt effectum, &c.* hæ enim propoſitiones ſunt principia prima & ſumma ſyllogiſmorum Dialecticorum, ut axiomata demonſtrationum, unde & *Axiomata topica* non malè dicuntur. Pro Maximarum differẽtia, ut ſi dicas *definitionem, ſpeciem*, &

cauſam eſſe locos unde deſumptæ ſunt illæ Maximæ, & quibus à ſe invicem differunt. Nobis arridet poſterior hæc loci acceptio. Nomen autem *Loci* tranſlatum eſt non ſine gratia: Sicut enim venatori ne ſæpe vacuus domum redeat cognoſcendi ſunt loci & latibula ferarum: ita Dialectico ut argumenta facilius inveniat inſpiciendæ ſunt certæ notæ. Vel ut in Pharmacopolarum officinis pixides ſuis quæque diſtinctæ ſunt inſcriptionibus, ut minuatur labor quærendi quod opus eſt: Ita Loci Dialectici nihil aliud ſunt quàm tituli & inſcriptiones animo legendæ quoties argumenta ad manum non ſunt. Ergo loci Dialectici non ipſa argumenta nobis oſtendunt, ſed modum ea quærendi: ut enim venator ſæpe adit conſueta ferarum latibula, nec invenit prædam;& ut pixides recluſæ ſæpe vacuæ inveniuntur; ita non ex inſpectione cuiuſque loci Dialectici ſuppetit argumentum: Excutiendi tamen ſunt omnes, quia ſi uno aut altero inſpecto negotium non ſucceſſerit, fortè ſuccedet antequam ad ultimum ventum ſit.

2. *Argumentum aliud eſt artificiale, aliud inartificiale. Artificiale eſt cuius inveniendi peritia artifex cenſetur: quale eſt quod ex conſideratione partium quæſtionis elicitur. Inartificiale eſt cuius inventio nullum eſt artis aut ingenij ſpecimen: qualia ſunt teſtimonia.*

Hæc argumentorum diviſio authorem habet Ariſtor. 1. Rhetor. Artificiale argumentum Ciceroni appellatur etiam *inſitum*, quia ſuâ vi arguit: Inartificiale autem, *aſſumptum*, quia nullam in ſe habet arguendi vim, ſed eam aſſumit à dignitate, fide, & authoritate teſtantis.

3. *Argumentum artificiale aliud eſt abſolutum, aliud comparativum. Abſolutum vel eſt conſentaneum, vel diſſentaneum. Conſentaneum eſt quod conſentit cum altera aut utraque parte quæſtionis: Eſtque aliud à Nomine, aliud a re. Argumentorum à nomine duo ſunt Loci, nempe Notatio nominis, & Coniugata vel caſus. Maximæ circa hos locos lubricę ſunt, & quandoque veræ, quandoque falſæ.*

Vt argumentorum artificialium diviſio probè intelligatur, ſciendum eſt terminorum ſimplicium quoidam ita ad ſe invicem affectos eſſe, ut unus poſſit eſſe medium vel argumentum ponendi, aut tollendi alterius: Alios ita ad ſe invicem affectos eſſe ut eorum unus poſitus nec poſſit eſſe argumentum alterius ponendi, nec tollendi. Illos ſcholaſtici vocant *terminos pertinentes*, hos, *impertinen-*

tes. Exempli gratia, Animal & homo ſunt termini pertinentes, quia poſito homine ponitur animal: Item *homo* & *lapis* ſunt termini pertinentes, quia benè ſequitur, *Eſt homo, Ergo non eſt lapis.* At *homo* & *album*, vel *album* & *dulce*, ſunt termini impertinentes, quia non ſequitur, *eſt homo, ergo albus*; nec, *eſt albus*, ergo *homo*; nec, *Non eſt homo, ergo non albus, &c.*

Circa notationẽ nominis duæ ſunt Maximæ: 1. *Cui convenit nominis notatio ei cõvenit nomen.* 2. *Cui non convenit nominis notatio ei non convenit nomen.* Exempli gratia, ſi mihi incumberet probandum hominem eſſe animal civile & ſociabile, vitamque odiſſe ſegregem & ſolitariam, poſſem argumentari à notatione nominis, quia nomen *homo* ductum eſſe videtur ab adverbio ὁμοῦ id eſt, *ſimul*: vel contrà, ſi quis odit ſocietatem civilem, poſſem dicere eum propè abeſſe à natura ferarum, cum homines dicti ſint eo quòd ὁμοῦ vivere ament. Minus infidus eſt hic locus cùm agitur de nominibus generum & ſpecierum, quàm cùm de nominibus individuorum, quia in his plures ſunt homonymiæ à caſu. Vitandę ſunt hoc in loco etymologiæ frigidę, pueriles, ridiculæ, longè petitæ.

Coniugatorum & caſuum hæ ſunt Maximæ: 1. *Si convenit unum coniugatorum convenit & alterum.* 2. *Si unum non convenit, certè neque alterum.* 3. *Coniugata coniugatorum ſunt conſequentia.* 4. *Contrariorum coniugata ſunt inter ſe contraria.* Exempli gratia, homo ſum: ideo humani à me nihil alienum puto. Chriſtianus ſum, ergo Chriſtum imitari debeo, &c. Hîc animadvertendum eſt,

non ſi concreta de ſe invicem prædicantur idcirco abſtracta de ſe invicem prædicari: Etſi enim quoddam album ſit dulce, ut lac; non tamen ſequitur quandam albedinem eſſe dulcedinem.

4. *Argumentorum conſentaneorum quæ à re ipsâ ducuntur nouem ſunt Loci: Definitio, Genus, Species, Totum, Pars, Cauſa, Effectum, Subiectum, Adiunctum. Quæ circa Definitionem, Genus, & Speciem ſunt Maximæ nec falſæ unquam ſunt, nec restrictionem patiuntur: In cæteris quædam egent limitatione, aliæ utcunque limitentur fallere poſſunt. Ad definitionem revocatur differentia ſpecifica quæ cum ſpecie reciprocatur. Ad Genus revocatur differentia generis conſtitutiva: Item ſpecies reſpectu individuorum habetur ut Genus. Pariter individuum reſpectu ſpeciei habetur ut ſpecies, adeoque omnis inductio pertinet ad Locum Speciei. Totum & pars in præſentia ſumuntur pro eo quod actu continet*

partes, & illis quæ actu inſunt toti; adeoque Genus non iam dicitur Totum reſpectu ſpecierum. Cauſę Locus ſubdividi poteſt in materiam, formam, efficientem, & finem. Adiunctum ſub ſe comprehendit omnia accidentia propria & communia, omneſque circumſtantias antecedentes, concomitantes, & ſubſequentes.

Circa definitionem ſunt hæ Maximæ. 1. *Cui convenit definitio ei convenit definitum.* 2. *Cui non convenit definitio ei nec definitum.* 3. *Si definitio huius cōvenit definitioni illius, tum hoc illi convenit.* 4. *Si definitio huius non convenit definitioni illius, tum hoc illi non convenit.* ut, homo eſt corpus animatum ſentiens, ergo eſt animal: Angelus non eſt corpus animatum ſentiens, ergo non eſt animal, &c.

Maximæ de loco generis hæ ſunt. 1. *Quod prædicatur de Genere prædicatur etiam de qualibet eius ſpecie.* Vel (quoniam ſpecies comparata ad individuum habetur ut Genus) quod prædicatur de ſuperiori idem de inferiori prædicetur neceſſe eſt: ut, quia omne animal eſt mortale omnis homo eſt mortalis. 2. *Quod univerſaliter negatur de genere vel de ſuperiori, illud dē ſpecie, vel de quolibet inferiori negetur neceſſe eſt*; Vt quia nullum animal eſt immortale nullus homo eſt immortalis. 3. *Cui non*

convenit Genus vel ſuperius, ei non convenit ſpecies vel inferius.

De Loco Speciei ſunt hæ Maximę. 1. *De quo prædicatur ſpecies de eodē prædicatur Genus.* 2. *Quod prædicatur de collectione omnium ſpecierū illud prædicatur de Genere.* 3. *Quod de nullâ ſpecierum prædicatur id non prædicatur de Genere.* Eædem Maximæ intelliguntur de individuo comparato cum ſpecie.

De Toto & partibus vide lib. 1. cap. 12. Aphor. 1. Illic enim diximus Genus non eſſe totum actuale, ſed potentiale reſpectu ſpecierum: Itaque cùm in præſentia id duntaxat appellemus *Totum* cui partes actu inſunt, liquet Locos Generis & ſpeciei à Locis Totius & Partium diverſos eſſe. Locus Totius has habet Maximas. 1. *Poſito Toto ponuntur omnes eius partes.* 2. *Sublato Toto, aut aliqua pars tollitur, aut ſaltem partes diſiunctæ ſunt*: quippe poteſt totum deſtructum eſſe ſalvis omnibus partibus, ſed diſiunctis, ut cùm ædificium diruitur. 3. *Quale eſt totum tales ſunt partes*: Hæc Maxima intelligenda eſt de toto ſimilari & partibus ſimilaribus tantùm: quæ autem ſint partes ſimilares & quæ diſſimilares vide lib. 1. capite & Aphoriſmo ante citatis.

Argumentamur è loco partium per has Maximas. 1. *Poſitis omnibus partibus coniunctim debito ſitu et ordine, ponitur quoque totum*: dico *coniunctim*, quia non ſi ſint lapides & ligna ſtatim domus ſit, niſi aptè coniungantur & ordinentur. 2. *Sublatâ unâ parte tollitur totum.* Nempe ſublatâ parte eſſentiali non eſt totum eſſentiale, & ſublatâ parte integrante non eſt totum integrum: homo neceſ-

manu nihilominus totus eſt eſſentialiter, quia manus non eſt pars eſſentiæ; ſed non eſt totus reſpectu quantitatis. 3. *Quales ſunt partes tale eſt totum*, nempe ſi totum ſit ſimilare, ut quia guttæ roris conglobatæ cernuntur, colligimus aquam eſſe globoſam: & quia ſtellæ ſunt rotundæ, cœlum eſſe rotundum. 4. *Quod convenit omnibus partibus ſimul ſumptis illud convenit toti.*

Ad Locū Cauſę pertinēt duplices Maximæ: nempe quædam generales: ut, 1. *Cauſa eſt prior effecto.* 2. *Sublatâ causâ tollitur effectum.* 3 *Qualis eſt cauſa tale eſt effectum.* Alię ſpeciales, ut de efficiente. 1. *Efficiens principalis aut eſt æque nobilis aut nobilior effecto.* 2. *Quorum generationes ſunt bonæ ipſa ſunt bona, & quorum generationes ſunt malæ ipſa ſunt mala.* 3 *Quorum deſtructiones ſunt bonæ ipſa ſunt mala, et quorum deſtructiones ſunt malæ ipſa ſunt bona.* De fine, ut, 1. *Poſito fine ponuntur media.* 2. *Finis eſt præſtantior mediis.* De materia, *Poſitâ materiâ non neceſſariò ponitur compoſitum.* De forma, *poſitâ formâ ponitur formatum*: nimirum ſi forma poſita ſit in materia: quod adiicio quia anima rationalis eſt forma hominis, non tamen ſi ea eſt hominem eſſe neceſſe eſt, cùm exiſtat ſeparata à corpore.

Ex dictis liquet in quibus maximis fundentur argumenta è loco effecti petita: Quippe, 1. *Effectum eſt naturâ poſterius ſuis cauſis,* 2. *Si eſt effectum certè cauſa eſt aut fuit.* 3 *Qualis eſt effectus talis eſt cauſa.* Ad locum effecti revocatur etiam Vſus, de quo hæ ſunt maximæ. 1. *Cuius uſus eſt bonus illud eſt bonum.* 2. *Cuius Vſus non eſt bonus, illud non eſt bonum,*

3. *Cuius nullus eſt uſus, illud nullo loco habendum eſt.* Vſus rei etiam ad cauſam finalem revocari poteſt.

Subiectum eaſdem fere Maximas offert quas Cauſa: Imò non abſurdum foret Subiecti Locum comprehendere ſub cauſa materiali, quia ſubiectum eſt materia in qua, vel circa quam ſunt adiuncta. Ergo *Quale eſt ſubiectum tale eſt adiunctum, etc.* Vt, ſi divitiæ eſſent per ſe bona tum poſſeſſor earum non eſſet malus.

De adiunctis propriis eædē ſunt Maximę quæ de definitione, & profecto nunquā fallūt, ſi accipiātur propria perfecta & ſimpliciter dicta, qualia definivimus lib. 1. c. 11. Aph. 2. Antecedentia, cōcomitantia, & conſequētia iam dicimus reſpectu temporis; eorumque alia neceſſariò, alia contingenter cohærent. Huc ſpectant ſigna rerum veriſimilia: ut, laſſitudo membra invaſit, ergo febris imminet; veſpera rubet, ergo cras ſerenum erit; Iris apparet, ergo pluet; Interrogatus de cæde expalluit, ergo reus eſt, &c. Maximæ generales ſunt. 1. *Poſito adiuncto veriſimile eſt poni ſubiectum.* 2. *Quale eſt adiunctum tale eſt ſubiectum, &c.* Sed harum uſus magis eſt Rhetoricus quàm Dialecticus. De Antecedentibus & conſequentibus quorum eſt neceſſaria cohærentia hæ ſunt ſpecialiter Maximæ. 1. *Poſito conſequente ponitur antecedens.* 2. *Sublato antecedente tollitur conſequens*: ut, artifex eſt, ergo didicit: Autumnus eſt, ergo fuit æſtas: Arbores fructu onuſtæ ſunt, ergo præceſſerunt flores: & pariter, Nunquam didicit, ergo non eſt artifex: Nondum eſt æſtas, ergo nondum Autumnus, &c.

5. *Argumenta diſſentanea ſunt quæ ſumuntur à diſparatis & oppoſitis. Hic igitur unus eſt locus generalis in quinque ſpeciales divißibilis: nempe Diſparata, Relata, Contraria, Privantia, & Contradicentia: Maximæ autem quædam ſemper fidæ ſunt, aliæ nonnunquam infidæ.*

De oppoſitis vide lib. 1. c. 13. Maximę generales duę ſunt. 1. *De quocunque affirmatur unum oppoſitorum de eo negatur & alterum:* nempe ſervatis conditionibus, *ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore:* Atque hęc Maxima fida eſt & conſtans. 2. *Oppoſitorum oppoſita ſunt conſequentia:* ut, iuſtus eſt laudandus, Ergo iniuſtus eſt vituperandus: ſed hac maxima niti non ſemper tutum eſt; non enim ſequitur, avaritia eſt vitium, ergo profuſio eſt virtus: nihil enim vetat unum idemque de oppoſitis prędicari, quod indictum non reliquimus in explicatione definitionis oppoſitorum. A relatis ſunt hæ Maximæ, 1. *Poſito aut ſublato uno relatorum ponitur vel aufertur alterum,* 2. *Cognito uno relatorum cognoſcitur et alterum.* A contrariis. 1. *Quod ſuſcipit de novo unum contrariorum alterius quoque ſuſceptivum eſt.* 2. *Contrariorum immediatorum neceſſe eſt alterum ineſſe ſubiecto capaci.* Privantium eędem ſunt maximę quę contrariorum immediatorum, modò addatur hæc conditio, *poſt tempus à*

natura præſcriptum habitui ut inſit. A contradicentibus ſunt duę maximę quibus nituntur omnia ſcientiarum principia: 1. *Contradicentia non poſſunt eſſe ſimul vera.* 2. *De quacunque re verum eſt alterum contradicentium.* Poſſunt & ambæ in unam coniungi hoc modo: *Contradicentia nec poſſunt eſſe ſimul vera, nec ſimul falſa.* Vide lib. 2 c. 6.

6. *Argumenta Comparativa vel ſunt à Comparatione rerum ipſarum; cuius duo ſunt loci, nempe Similia, & Diſſimilia; quæ magis illuſtrant quàm probant: vel à comparatione probabilitatis enunciationum; cuius tres ſunt loci, Maiora, Minora, & Paria; & ab his firmæ ducuntur Maximę.*

In Similibus hæc eſt Maxima, *ſimilium ſimilia ſunt conſequentia*: vel, *quod valet in uno ſimili valet in altero.* Huc referuntur exempla, parabolæ, &c. In Diſſimilibus hęc eſt Maxima, *Diſſimilibus eadem non conveniunt.* Hic locus reſpondenti quàm oppugnanti commodior eſt: Reſpondens enim oſtenſa diſſimilitudine argumenti & eius quod in quæſtione eſt, argumenti vim elevat: ut ſi quis diceret, omnia animalia præter hominem habere os pronum in terram; Ergo & homini naturaliter convenire ut terram potius ſpectet & obſtipo ſit capite, quàm ut vultu erecto ſit: reſpondens ne-

gabit ſequelam, & rationem negationis ducet à diſſimilibus, nempe quia ſolus homo natus eſt ad contemplationem; vel, quia cætera animalia ſunt omnino terrena, ſed in homine eſt quiddam cæleſte & immortale.

A Maioribus argumentamur per hanc Maximam, *Si quod magis videtur eſſe non eſt, certè quod minùs videtur eſſe non erit*: ſive, *ſi quod magis probabile eſt, verum non eſt; certè quod minùs probabile eſt verum non erit*: ut, non colit parentes, Ergo multo minùs præceptores: Non metuit regem, ergo multò minùs magiſtratus inferiores. Familiam regere non poteſt, Ergo multo minùs civitatem aût rempub. &c. Huius enim loci vis eſt ad evertendum, non autem ad confirmandum. A minoribus argumentamur per hanc Maximam: *Si quod minùs eſſe videtur eſt, certè quod magis videtur erit*: ſive *Si quod minùs eſt veriſimile verum eſt, certè quod magis veriſimile eſt verum erit*: ut, Beneficus eſt erga hoſtes, ergo multò magis erga amicos, &c. Huius enim loci uſus eſt ad confirmandum, non ad evertendum. A paribus ducitur hæc Maxima; *Si unum eorum quæ æque videntur eſt, erit et alterum*; &, *Si unum eorum non eſt, neque alterum erit*: ut fratres ſunt diligendi, ergo & Sorores &c.

7. *Reſtant argumenta inartificialia ſive teſtimonia: quorum in arguendo vis tanta eſt, quanta teſtantis fides & authoritas. Teſtimonium divinum fir-*

mius eſt & gravius quàm ut exceptionem ullam ferat. A Teſtimoniis humanis quotquot ducuntur Maximę, ſuas requirunt exceptiones pro circumſtantiarum varietate.

A teſtimonio divino ſuppetit hæc Maxima: *De eo quod Deus dixit dubitare nefas eſt*: ille enim unus teſtis eſt ἀξιόπιστος. Teſtimonium autem divinum dicitur quod aut Deus ipſe dixit, aut aliquis quem conſtat à Deo inſpiratum fuiſſe, cuiuſmodi fuerunt ſancti Prophetæ & Apoſtoli. De teſtimoniis humanis hę pręcipuę ſunt Maximæ: 1. *Quod tacito omnium conſenſu nititur verum eſt* 2. *Diſſidentibus hominum teſtimoniis, quod plures & ſapientiores teſtantur verum eſt*: 3. *Si de verbis quæſtio ſit, quæ uſitatiſſima ſunt, optima ſunt*; ſive, ut Ariſtoteles ait, *loquendum cum vulgo & ſentiendum cum ſapientibus.* 4. *Artifici perito cùm de ſua arte agitur credendum eſt, &c.* Huc pertinent leges, ſenatuſconſulta, edicta principum, acta publica, &c. A privatione teſtimonii non eſt argumentandum ad privationem veritatis: Exempli gratia, benè ſequitur, Ariſtoteles, Plato, & maximi quique Philoſophi hoc dixerunt, Ergo probabile eſt: ſed non ſequitur, Ariſtoteles, Plato, cæterique Philoſophorum proceres hoc non dixerunt, Ergo non eſt. Similiter benè ſequitur, hoc in ſacris Scripturis teſtatum eſt, Ergo eſt verum: ſed non ſequitur, hoc non legitur in ſacris Scripturis, Ergo non eſt verū.

8. *Hactenus de numero locorum. Sed quia problema dialecticum aliud eſt abſolutum, quo quærimus an hoc illi conveniat necne; aliud comparatum, quo, propoſitis duobus aut pluribus ſubiectis, quærimus utri magis, vel cui maximè conveniat attributum: Ignorandum non eſt utriuſque probationem ex prædictis locis eruendam eſſe. Itaque ad ſingulos locos pertinent duplices Maximæ: nempe aliæ abſolutæ, aliæ comparatæ.*

Exempli gratia, quærere poſſumus abſolutè. An voluptas ſit bonum: & comparatè, utrum melius ſit, voluptate frui, an gloria Maximas quibus problema abſolutum tractatur hactenus enumeravimus etſi non omnes, certè præcipuas: Reſtat ut iam indicemus nonnullas illarum quibus problema comparatum tractatur. A notatione nominis: *Cui magis competit notatio nominis ei magis competit nomen.* A coniugatis: *Cuius coniugatum eſt melius, aut magis tale, quàm coniugatum alterius, idipſum eſt melius, aut magis tale, quàm alterum.* A definitione: *Cui magis competit definitio, magis competit definitum.* Similiter de genere & ſpecie res habet. A Toto & partibus: *Quod ſimpliciter*

eſt tale, & *quod ſemper eſt tale*, *illud magis eſt tale quàm quod ſecundum quid*, *aut aliquando tantùm*. *Quod ad plura confert id melius eſt quàm quod ad pauciora*; ſive, *bonum quo communius eo melius*, *&c.* A Cauſis: *Quod per ſe tale eſt*, *magis tale eſt quàm quod per aliud*; *Per quod aliquid eſt tale idipſum eſt magis tale*: *Quod per ſe eſt cauſa boni*, *melius eſt quàm quod eſt cauſa per accidens*: *Cuius cauſæ ſunt meliores*, *idipſum eſt melius*, *&c.* Ab effectis: *Quod poſſibile eſt*, *magis eligendum eſt quàm quod impoſſibile*: *Quæ difficiliora ſunt pulchriora ſunt*, *&c.* Ab adiunctis: *Cuius conſequens eſt magis tale idipſum eſt magis tale*: *Quod diuturnius eſt*, *id melius eſt*, nempe ſi quoad cætera par eſt: *Quod maiorem affert voluptatem aut minorem moleſtiam* (dum honeſtum ſit) *melius eſt*. Ab oppoſitis: *Quod à ſuo contrario remotius eſt illud magis eſt tale*. A ſimilibus & diſſimilibus: *quod propinquius*, *vel ſimilius eſt ei quod eſt magis tale*, *illud ipſum eſt magis tale*, & contrà. A comparatione probabilitatis: *Quod eſt altero magis tale*, *eius optimum magis eſt tale quàm optimum alterius*. A teſtimonio: *Illud eſt magis tale quod plures et prudentiores iudicant magis tale*, *etc.*

9. *Locorum inſpectio & excuſſio antequam ventum ſit ad conflictum, non modò theſis propoſitę oppugnatori, verumetiam propugnatori neceſſaria eſt. Si argumentorum affluentia eſt, contemptis leviſſimis quibuſque conиecturis*

graviorum delectus faciendus eſt.

Non deerunt fortaſſe qui inſpectionem locorum non ei qui theſin aliquam propugnaturus, ſed ei qui oppugnaturus eſt, auxilio eſſe exiſtimēt: Attamen ſi tela prȩviſa facilius declinari poſſunt, certè theſin aliquam propugnaturus ante initam diſputationem locos inuentionis uſque ad unum excutere debet, ut compertis argumentis quȩ ex unoquoque eorum adverſus theſin propoſitam duci poſſint, illis ſingulis reſponſiones probabiles meditetur, & ad actum diſputandi paratior accedat.

CAPVT VI.

De Conflictu Dialectico.

1. *Dialecticum illis ſubſidiis inſtruximus quæ ante conflictum neceſſaria ſunt: Nunc quid inter confligendum facto opus ſit exponamus. Theſin aliquam oppugnaturus ante omnia mentem reſpondentis tentet unâ aut alterâ interrogatione, ſi fortè theſis obſcuritate laborat, aut aliud quoddam fore vi-*

re videtur interrogationis pretium: poſt danda eſt opera ut concludatur inſtitutum formaliter & ſecundum leges ſyllogiſticas : Tertiò cavendum eſt, à probatione circulari, & repetitione principij, & ab affirmatione oppoſitorum: Quartò, Si propoſitionem aliquam diſtinxerit reſpondens, tentandum eſt aut ex parte conceſſa concludere inſtitutum, aut partem negatam probare, aut denique tacendum eſt: Quintò, ſi generale medium non ſuppetit confugiendum eſt ad inductionem, quam ſi reſpondens non totam admiſerit petenda eſt exceptio diverſa ab eo quod in quæſtione eſt.

Unâ aut alterâ interrogatione.) Interrogantis eſt celare inſtitutum ſuum, quoad eius fieri poteſt; quia reſpondens neſcius quò ſpectent interrogationes facilius illaqueatur & propria confeſſione capitur. *Ut concludatur inſtitutum.*) Primo ſtatim ſyllogiſmo concludenda eſt contradicens, aut contraria, theſi quàm adverſarius tuetur: Deinceps in toto diſputationis progreſſu concludendum eſt quod à reſpondente ultimò negatum eſt. *Et repetitione principij.*] Hoc vitium ab Ariſtot. appellatur

Digitized by Google

τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν: Et committitur non modò cùm aliquid (ſive iiſdem, ſive mutatis verbis) affertur in probationem ſui, ſed etiam cùm ignotum probatur per aliud æquè ignotum. *Ab affirmatione oppoſitorum.*) Sicut vulgo dicitur mendacem memorem eſſe oportere; Ita qui inter diſputandum affirmat aliquid, cavere debet ne id in eadem diſputatione neget, & oppoſitum ſibi concedi poſtulet: qui enim ſibi ipſe non conſtat argumentorum ſuorum vim minuit. *Aut ex parte conceſſâ, &c.*) Id fiet huiuſmodi aliquâ verborum formulâ: *diſtinctionem quam affers intelligo, quid concedas & quid neges ſatis capio, ſed argumentum meum non evitabis: Ex parte enim conceſſa ſic infero inſtitutum, &c.* vel, *diſtinctionem tuam capio: hoc enim concedis, illud negas, ego verò quod negas ſic probo, &c. Confugiendum eſt ad inductionem, etc.*) Vide lib. 4. c. 7. Apho. 1. Turpe eſt propoſitionem univerſalem ex ſingularium enumeratione conſtantem negare ſine inſtantia vel exceptione. Si fas eſſet pro exceptione afferre id quod in quæſtione eſt, certè omnis inductio facile eludi poſſet. Nonnunquam tamen id de quo agitur ſolutum eſt legibus & conditionibus quibus cætera eiuſdem generis ſubiecta ſunt; & hoc ſolo caſu licet inductioni opponere idipſum quod in quæſtione eſt.

2. *Theſin aliquam propugnaturus ante omnia conſideret quò ſpectent interrogationes, ſi quæ fortè ab adverſario in initio propoſitæ ſunt. Secundò an ad-*

verſarius Theſin feriat necne: Tertiò an formam ſyllogiſticam obſervet: Quartò ad præmiſſarum veritatem & falſitatem intentus, quas non intelligit explicari ſibi poſtulet; ad eas de quarum ſenſu conſtat reſpondeat conceſſione veri, negatione falſi, diſtinctione multiplicis: Quintò, ſi utraque præmiſſa negari poteſt non idcirco alterutram promiſcuè neget, ſed eam qua negatâ manebit diſputatio propior inſtituto. Sextò, ſi propoſitio Maior dubia eſt, & Minor falſa, Maiorem iubeat tranſire indiſcuſſam. Septimò, ſi oppugnans repetit principium, aut oppoſita affirmat, aut ab inſtituto digreditur, id ei exprobrandum eſt. Octavò, ſi ab inductione nihil excipi poteſt prꝫter id quod eſt in quæſtione, reddenda ratio eſt cur id unum in eo genere excipiatur.

Quo ſpectent interrog.) Nimirum ne incautus concedat quod poſtea vellet non conceſſiſſe. *Secundò an adverſ.*) Hoc præceptum cum proximo

ſequente diligenter obſervandum eſt: ſi diſputationem ſuſtines primò vide an adverſarius inferat quidquam adverſus theſin quam tueris: ſecundò an ratiocinetur bonâ formâ: tertiò demùm ſintne veræ an falſæ propoſitiones ex quibus concludit. *Quas non intelligit.*) Dicat ergo reſpondens, *οὐ μανθάνω, οὐ συνίημι, mutemus hæc verba aliis clarioribus, &c. Sed ea quâ negatâ, &c.*) Sæpe enim transfertur diſputatio longè à primâ quæſtione, non tantùm oppugnantis vitio digrediendi cauſam captantis, ſed etiam reſpondentis cum πάρεργα tranſire non ſinit. *Tranſire indiſcuſſum.*) Ita fiet ut depulſus à negatione minoris poſſit refugere ad negandam maiorem, & cauſari ſe negaſſe minorem tantùm ut experimentum caperet an adverſarius eam potuerit confirmare. *Reddenda ratio eſt cur, &c.*) Ni hoc fecerit dabitur adverſario anſa canendi triumphum.

CAPVT VII.

De Elenchis Sophiſticis qui ſunt in dictione.

1. *At quia theſin propoſitam non tantùm virtute dialectica, verùm etiam dolo ſophiſtico oppugnari contingit, unicus iam nobis labor reſtat, ut dialecticum*

reſpondentem adverſus ſophiſticos Elencus armatum præſtemus. Elenchus eſt ſyllogiſmus concludens contradictionem aſſertionis ab aliquo defenſę. Sophiſta eſt qui ſapientiam mentiendo gloriam captat & quęſtũ. Sophiſticus igitur Elenchus eſt Elenchus non Elenchus: ſive eſt Elenchus ſpecie verborũ, ſed non reipſa.

E*Lenchus eſt, &c.*) Ἔλεγχος ſonat *redargutionem et reprehenſionem*, eſtque inſtrumentum ſapientis. Nam ſapientis duo ſunt numera: unum eſt docere volentes & ignorantiam ſuam ingenuè cõfitentes; alterum eſt refellere & redarguere errantes & prava opinione tumidos. Ab Ariſt. c. 1. de Sophiſt. Elench. definitur Elenchus συλλογισμὸς μετ' ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος, id eſt, *ſyllogiſmus cum contradictione concluſionis*, nempe ab alio quopiam defenſæ. *Sophiſta eſt qui, &c.*) Sophiſtæ nomen ex primęva impoſitione ſignificabat eum qui non tãtùm ſapiens ipſe eſſet, ſed & alios ſapientes efficere conaretur, à verbo Σοφίζειν, id eſt, *ſapientiam docere*, vel *ſapientem efficere*: ſed lapſu temporum cum plani & nugivenduli plerique, propter gloriam & quęſtum, Sophiſtæ nomen ſibi arrogarent, & nihil minùs eſſent quàm revera ſapientes, nomen antè honoratiſſimum verti cœpit in contumeliam, ut Sophiſta non amplius diceretur ſapientiæ doctor, verùm ſapientis ſimia: ideoq; Sophiſta Ariſtoteli

definitur χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης, & qui victoriam in diſputatione quavis ambit δόξης χάριν τοῦ εἰς χρηματισμόν. & σοφιστικὴ χρηματιστική τις ἀπὸ σοφίας φαινομένης. Dicendum ergo nobis eſt de Sophiſticis Elenchis, ut medicis de veneno, & iuriſconſultis de iniuſto & iniuria, id eſt, non ut ſophiſmata texamus, ſed ut ab aliis texta & veritati oppoſita retexere valeamus: & ut argentariis neceſſaria eſt facultas probos nummos ab improbis & adulterinis internoſcendi, ita dialectico technas & dolos ſophiſtarum cognoſci oportet, ne ſophiſtarum retibus capiatur. Et quia is facillimè nodum ſoluit qui nectere didicit, bonus dialecticus is demum cenſendus eſt qui fallere poteſt, ſed non vult: σοφιστικὸς γὰρ οὐκ ἐν τῇ δυνάμει, ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει, ut ait Ariſt. 1. Rhetor: id eſt, *Sophiſtam facit non facultas, ſed voluntas & propoſitum fallendi.*

2. *Loci inventionis Sophiſticæ duplices ſunt: alij in dictionibus, alij in rebus. In dictionibus ſunt loci ſex. Homonymia, Amphibolia, Compoſitio, Diviſio, Accentus, & Figura dictionis.*

Diſputamus verbis, ſed de rebus: res enim ipſæ in diſputatione adhiberi non poſſunt, ſed earum ſymbola. Duo igitur ſunt fontes & ſcaturigines fallaciarum, ſive duo ſunt genera τῶν ἐμποιούντων τὴν φαντασίαν, ut loquitur Ariſt. id eſt, *eorum quæ tribuunt apparentiam* & colorem falſis rationibus: nempe

verba, & res. Quod ad verba attinet, ſicut in logiſtica, ſive arte ſupputandi, οἱ μὴ δεινοὶ τὰς ψήφους φέρειν ὑπὸ τῶν ἐπιστημόνων παρακρούονται, id eſt, *qui calculorum in tabula ducendorum periti non ſunt a peritis circumveniuntur*, ita in Logicæ parte quę dialectica appellatur, ſive in arte rectè putandi & opinandi, οἱ τῶν ὀνομάτων τῆς δυνάμεως ἄπειροι παραλογίζονται; id eſt, *qui nominum poteſtatis imperiti ſunt paralogiſmis capiūtur.*

3. *Homoynmia & Amphibolia in hoc differunt: Homonymia eſt in unica dictione ſignificationum multiplicitas: Amplibolia eſt ambiguus orationis ſenſus cuius ſingulę dictiones ſeorſum ſumptę homonymia carent. Sophiſma ab Homonymia ſolvendum eſt diſtinctione homonymię; ſophiſma ab Amphibolia diſtinctione amphiboliæ.*

Quia tres ſunt in ſyllogiſmo termini, tripliciter contingere poteſt captio ab homonymia: interdum medium homonymum eſt, ut *omnis canis poteſt latrare, atqui aliquod ſydus eſt canis, ergo aliquod ſydus latrare poteſt*: ſoluitur diſtinctione ſignificationum vocabuli *canis.* Interdum ſubiectum quæſtionis homonymū eſt; ut *Subſtātia non eſt quātitas, atqui corpus eſt ſubſtantia, ergo corpus non eſt quantitas*, & tamen quantitas continua dividitur in lineam, ſuperficiem, & corpus. Soluitur indicando corpus aliud eſſe Phyſicum, aliud Mathematicum.

Interdum denique attributum quæſtionis eſt homonymum, ut *Finis rei eſt eius bonum, atqui mors non eſt bonum vitæ, ergo mors non eſt finis vitæ*: ſolvitur dicendo finem quandoque ſumi pro cauſa, quandoque pro extremo rei. Hoc ſophiſmatis genere utebatur ille qui, cum triginta dierum pactę eſſent cum hoſte induciæ, noctu populabatur agros: quòd dierum eſſent pactæ, non noctium induciæ: diei enim nomen interdum lucem tantùm ſignificat, vel moram ſolis ſupra horizontem; interdum verò ſpacium quatuor & viginti horarum, quod Græci νυχθήμερον appellant.

Ad homonymiam revocandas quoque exiſtimo huiuſmodi interrogationes: *deſiiſtine facere adulterium, an non? perdidiſtine cornua, an non?* quarum meminit A. Gellius, lib. 16. c. 2. ſive enim aias, ſive neges, videberis hærere in captione propter homonymiam: ſi enim reſponderis te deſiiſſe facerę adulterium hæc ipſa erit adulterii præcedentis confeſſio, quippe fecimus aliquando quæ facere deſinimus: ſin reſponderis te non deſiiſſe facere adulterium, dicet ſophiſta, *quod non deſiiſti facere, illud facere pergis; atqui ais te non deſiiſſe facere adulterium, ergo pergis facere adulterium.* Sed in verbo non deſinendi eſt homonymia; quippe verbum *deſinere* duo ſignificat, nempe *feciſſe*, & *non amplius facere*: quare verbum *non deſiiſſe*, vel ſumi poteſt pro negatione τοῦ *feciſſe*, ſive facti præteriti; vel pro affirmatione facti præſentis. ſimile iudicium faciendum eſt de uerbis *non perdidi, non convalui, non redii*, & aliis huiuſmodi.

Captio ab Amphibolia eſt: ut *Quod aliquis vi-*

det, illud ipſum videt; at columnam aliquis videt, ergo columna ipſa videt. Solvitur diſtinctione phraſeos *illud ipſum videt*; vel enim *illud ipſum* eſt nominativus antecedens verbum *videt*, & ita ſenſus maioris falſus eſt: vel *ipſum* eſt accuſativus qui regitur à verbo *videt*, & ita ſenſus maioris verus eſt; ſed non inde ſequitur hæc concluſio *Columna ipſa videt*, ita enim in ſyllogiſmo ſunt quatuor termini. Tali captione Apollo Pyrrhum Epirotarum regem de eventu belli adverſus Romanos conſulentem decepit: *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe*: Pyrrhus reſpōſum interpretatus eſt ſic, *O Æacida aio fore ut tu vincas Romanos*: Sed belli exitus oppoſitam comprobavit interpretationem, nempe *O Æacida aio fore ut Romani te vincant.*

4. *Sophiſmata à compoſitione & diviſione ſunt quæ fallunt propter coniunctionem diſtrahendorum, vel diſtractionem coniungendorum. Soluuntur diſtinctione diverſorum ſenſuum quos habet oratio pro diverſa partium coniunctione & diviſione.*

Captio à Compoſitione eſſe dicitur in qua ſenſus compoſitus falſus eſt, & diviſus verus: A Diviſione autem cùm ſenſus diviſus falſus eſt, & compoſitus verus. Compoſitio & Diviſio quatuor modis contingere poſſunt: Primò in enunciationibus modalibus; ut *poſſibile eſt ſedentem ſtare*: vel

enim participium *ſedentem* coniungi poteſt cum verbo *ſtare*, & ita ſenſus eſt falſus; non enim poteſt fieri ut ullus ſtet ſedens: vel poteſt idem participium divelli à verbo *ſtare* & coniungi cum modo *poſſibile*, & ita ſenſus efficitur verus, nam ſedenti ineſt potentia ſtandi. Secundò in enunciationibus quarum partes coniunctione aliqua copulativa aut ſegregativa uniuntur, aut habentibus notam quantitatis, quæ vel collectivè vel diſtributivè ſumi poteſt: ut *omne animal aut eſt rationale aut irrationale: atqui non omne animal eſt rationale: ergo omne animal eſt irrationale*: hæc captio eſt à diviſione, nam maior diviſim accepta falſa eſt, & coniunctim vera: ſi enim dividatur maior hoc pacto, *aut omne animal eſt rationale, aut omne animal eſt irrationale*, ſenſus erit falſus: ſin retineatur attributum, *rationale aut irrationale*, tanquam unum, erit ſenſus verus. Similiter & hæc captio eſt à diviſione. *omnes planetæ ſunt ſeptem; atqui Sol & Luna ſunt planetæ, ergo Sol & Luna ſunt ſeptem*: maior enim eſt vera ſumendo particulam *omnis* collectivè, ſed falſa diſtributivè. Tertiò quando dictio aliqua in continuatione & ſerie orationis iungi poteſt vel cum antecedentibus, vel cum ſubſequentibus, ut πεντήκοντ' ἀνδρῶν ἑκατὸν λίπε δῖος Ἀχιλλεύς, id eſt, *quinquaginta è viris centum liquit divus Achilles*: vel enim genitivus ἀνδρῶν iungi poteſt cum πεντήκοντα, ut ſenſus ſit *è quinquaginta viris Achillem reliquiſſe centum*, quod fieri non potuit; vel iungi poteſt cum ἑκατὸν, ut ſenſus ſit *è centum viris Achillem reliquiſſe tantùm quinquaginta*. Tale eſt & hoc, *qui ſcit litteras hodie didicit*: vel enim poteſt ſic diſtingui, *qui ſcit*

litteras hodie, didicit: vel ſic, *qui ſcit litteras, hodie eas didicit*. Quartò dici poteſt captio à compoſitione cum quæ ſeorſim prædicabantur ea coniunguntur: ut *canis eſt pater, & eſt tuus, ergo canis eſt pater tuus*; item, *hic eſt bonus, & eſt artifex, ergo eſt bonus artifex*: ſed & hæ captiones poſſunt dici ab homonymia, quia vocabulum *bonus* ſeorſim prædicatum de homine ſumitur moraliter, at cum eſt epithetum artificis denotat ſcientem ac peritum: pariter dictio *tuus* ſumitur reſpectu dominii quod homini eſt in canem cum dicimus *canis eſt tuus*: at cum eſt epithetum patris eam ſignificationẽ amittit. Et quid vetat in unâ eâdemque captione plures fallendi cauſas concurrere? Contrà verò ſi quæ cõiunctim prędicabãtur ea diviſim prędicentur poteſt dici captio à diuiſione: ut *hic eſt bonus artifex, ergo eſt bonus*: ſed pleræque tales captiones pertinent ad locum à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, ut inferius patebit.

5. *Sophiſmata ab accentu ſunt quando dictio vel oratio ex iiſdem litteris & ſyllabis conſtans pro diuerſitate pronunciationis diverſas induit ſignificationes. Soluuntur oſtenſa pronunciationis diverſitate.*

Accentus vel προσῳδία generaliter in præſentia ſumitur pro omni pronũciationis inflexione: huc ergo pertinẽt variationes ſignificationis ſive prop-

ter accentum propriè dictum, ſive propter quantitatem ſyllabarum, ſive propter ſpiritum lenem vel aſperum, ſive denique propter ſeriam aut ironicam & ſimulatam locutionem, ut ſi *populus* arbor, cuius prima ſyllaba longa eſt, confundatur cum dictione *populus* ſignificante multitudinem hominum, & habente primam ſyllabam brevem: ſic ſe habent *homini* & *omini*, *hara*, & *ara*, *lépores* & *lepôres*: item ſi ſtolidus ſervus à domino offenſo dicente *bone vir curaſti probè*, laudari ſe exiſtimaret non animadverſâ pronunciatione ironica.

6. *Sophiſma à figura dictionis eſt cum vocabula licet diverſa ſint, tamen ſimilitudine decipiunt. Soluitur indicando ſimilium vocabulorum diverſa accidentia, diverſaſque ſignificationes.*

Duo ſunt ex hoc loco captionum genera: unum puerile, nempe ſi propter ſimilem vocabulorum terminationem putamus ſimilia eſſe debere eorum accidentia grammatica, vel etiam categorias: ut ſi quis diceret *urere, ſecare, & verberare, ſunt actiones, ergo quieſcere, valere, & vapulare ſunt actiones.* Alterum difficile eſt & doctis ipſis metuẽdum, nempe cùm vocabula ad diverſas categorias, aut ad diverſas eiuſdem categoriæ ſpecies pertinentia non ſuis quæſtionibus redduntur: ut, *Quod nix eſt illud lac non eſt, atqui nix alba eſt, ergo lac album non eſt*: hîc enim aſſumitur qualitas unà cum

ſubſtantia,& non diſtinguuntur *quod & quale*: particula enim *quod* refertur ad ſubſtantiam rei tantùm,non ad eius qualitatem; atqui albedo eſt qualitas nivis: quare ſic dicendum erat in maiore, *qualis eſt nix tale non eſt lac, atqui nix eſt alba*: ita enim fuiſſet apta relatio, ſed propoſitio maior fuiſſet neganda. Aliud exemplum: *Quod in macello emptum fuit: id comediſti, atque carnes crudæ in macello emptæ fuerunt, ergo crudas comediſti*: per *cruditatem* enim non aptè reſpondetur quæſtioni *quod*, ſed quæſtioni quale. Tertium exemplum: *Qui heri eras idem hodie es, atqui heri eras ſanus, ergo hodie ſanus es.* Quartum exemplum: *Quot digitos habet puer totidem habet iuvenis: atqui puer habet decem digitos quorum duo non æquarent minimum meorum; ergo duo digiti iuvenis cuiuſlibet non æquarent minimum meorum.*

CAPVT VIII.

De Elenchis Sophiſticis qui ſunt in rebus ipſis.

1. *Jn rebus ipſis, non autem in verbis, ſeptem ſunt loci Elenchorum ſophiſticorum: Accidens, Secundùm quid & ſimpliciter, Jgnoratio Elenchi, Conſe-*

quens, Petitio principij, Non cauſa pro cauſa, & Interrogatio multiplex. Captio ab Accidēte eſt cum quod accidit uni eorum quorum alterum de altero prędicatur, id putatur accidere debere etiam alteri. Soluitur oſtendendo mutatam eſſe vocabuli ſuppoſitionem.

EXempla huiuſmodi ſunt: *veſtis eſt fœminini generis, atqui pallium eſt veſtis: ergo pallium eſt fœminini generis.* Vel *veſtis eſt fœminini generis, atqui pallium non eſt fœminini generis: ergo pallium nõn eſt veſtis. Mus rodit caſeum, atqui mus eſt ſyllaba: ergo ſyllaba quadam rodit caſeum.* Quia enim pallium eſt veſtis, concluditur quidquid accidit nomini *veſtis*, accidere debere nomini *pallium*: & quia mus rodit caſeum, concluditur quidquid nomini *mus* attribuitur, id etiam rodere caſeum. Soluuntur oſtendendo diverſitatem ſuppoſitionis vocabulorum: nam cum veſtis dicitur eſſe fœminini generis, ſupponitur materialiter, cum autem pallium appellatur veſtis illud ipſum nomen *veſtis* ſupponitur formaliter, & pro re cuius eſt ſymbolum. Pariter iudicandum de acceptionibus vocabuli *mus*. mirum ergo non eſt, ſi aliquid accidit *veſti* quod tamen non convenit *pallio*, & aliquid attribuitur *muri* quod non attribuitur *ſyllabæ*. Tales ſunt & hæ captiones: *Animal eſt genus hominis & beſtiæ, atqui homo eſt animal: ergo homo eſt genus hominis &*

beſtiæ. Et *Animal eſt genus; atqui Socrates non eſt genus: ergo Socrates non eſt animal.* Quippe in maiore utriuſque captionis nomen *animal* ſupponitur ſimpliciter, at in aſſumptione prioris, & in concluſione poſterioris ſumitur perſonaliter. Conſule c. penult. lib. 1.

2. ***Sophiſma à ſecundùm quid, aut ſimpliciter, eſt cùm argumẽtamur à Dicto ſecundùm quid, ad Dictum ſimpliciter: aut à Dicto ſimpliciter ad dictum ſecundùm quid.*** **Soluitur oſtendendo diſcrimen inter ſententiam ſimpliciter dictam, & dictam ſecundùm quid vel cùm adiectione quadam.**

A Secundùm quid ad ſimpliciter: ut, *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes: ergo Æthiops eſt albus. Divitiæ ſunt in mare proiiciendæ ut vitetur naufragium: ergo divitiæ ſunt proiiciendæ. Vinum febricitanti noxium eſt: ergo vinum noxium eſt. Homerus etiam hodie vivit in hominum doctorum animis: ergo Homerus hodie vivit. Cadaver eſt animal mortuum ergo cadaver eſt animal.* A ſimpliciter ad ſecundùm quid ut, *depoſitum domino repoſcenti reddendum eſt: ergo gladius apud te depoſitus domino furioſo reddendus eſt. Divitiæ, cum ſint dona Dei, proiiciendæ non ſunt: ergo divitiæ non ſunt proiiciendæ ut vitetur naufragium. Dextram tuam abſcindere non debes: ergo*

Digitized by Google

cum eam gangrena invaſit abſcindere non debes.

3. ***Sophiſma ab ignoratione Elenchi eſt cùm id quod concluditur contradicere videtur aſſertioni reſpondentis, revera tamen ei non cõtradicit. Solvitur oſtendendo omiſſam eſſe aliquam conditionũ quæ ad iuſtam oppoſitionem neceſſariæ ſunt.***

Exempli gratia, ſi adverſus me aſſerentem, *Animam humanam eſſe immortalem*, aliquis ita argumentaretur: *Quod non ſemper fuit illud non eſt æternũ, atqui animæ humanæ non ſemper fuerunt: ergo nõ ſunt æterna:* eſſent inſidiæ ab ignoratione Elenchi: hoc enim ſyllogiſmo non concluditur negatio eius quod affirmavi. Huiuſmodi rationum umbris utuntur plerumq; imperiti diſputatores putantes ſe ferire theſin quam nullatenus feriunt. Conditiones neceſſariæ ad iuſtam oppoſitionem ſunt, *ut idem de eodem affirmetur, & negetur, & voce, & re.* & affirmatio atq, negatio intelligantur *ſecundùm idem, ad idem, et de eodem tempore*, ut ex lib. 1. & 2. notum eſt.

4. ***Sophiſma à Conſequente eſt quo concluditur antecedens ex poſitione conſequentis. Solvitur oſtendendo paralogiſmum***

Digitized by Google

mum eſſe ex affirmantibus in ſecunda figura.

Vt *ſi aſinus eſt homo tum aſinus eſt animal, atqui poſterius verum; ergo & prius.* Vitium formæ tegi ſolet ſuppreſſione alterius propoſitionum præmittendarum: ut, *Noctu obambulat, ergo fur eſt Cultui corporis impensè ſtudet: ergo amator eſt.* Interdum ambagibus verborum occultatur, ut *Qui dicit aſinum eſſe animal dicit verum: at qui dicit aſinum eſſe hominem dicit aſinum eſſe animal; ergo qui dicit aſinum eſſe hominem dicit verum*:perinde enim eſt ac ſi ſic ſtrueretur, *homo eſt animal; aſinus eſt animal; ergo aſinus eſt homo.*

5. *Sophiſma à Petitione principij eſt, cùm aliquid probatur per ſe ipſum, aut per aliud quid æquè ignotum. Solvitur oſtendendo medium non eſſe diverſum ab eo quod in quæſtione eſt, aut ſaltem non eſſe quæſtione notius.*

Sophiſta petit principium, ſive aſſumit pro medio id quod in quæſtione eſt verbis aliquantum mutatis, vel id quod æquè ignotum eſt ac ipſa quæſtio, partim ut diſputationem protrahendo videatur argumentorum copiam habere inexhauſtam; partim verò ut adverſarium fallat, quia ſæpenumerò quod unâ verborum formulâ propo-

Digitized by Google

ſitum manifeſtè falſum eſt, idem aliis verborum flexibus obvolutum ſpeciem aliquam & colorem probabilitatis habet.

6. *Sophiſma à Non cauſa pro cauſa eſt cùm effectum aliquod adſcribitur cauſæ non ſuæ. Soluitur deſignatione cauſæ à qua effectum illud reverà dependet.*

Talia ſunt hæc Sophiſmata: *Vinum inebriat: propter religionem ſunt bella civilia: Oratores cauſam deteriorem ſæpè potiorem reddunt: Philoſophi turpiter vivunt: ex lectione ſacræ ſcripturæ hereſes ortæ ſunt: Ergo vinum, religio, ſtudium Eloquentiæ, Philoſophia, et lectio Sacræ Scripturæ è republica exigi debent.* Quippe illa effecta non ſunt à cauſis quibus in iſto ſophiſmàte adſcribuntur, ſed à pravitate & curvitate ingenii humani abutentis rebus naturâ ſuâ optimis.

7. *Sophiſma à multiplici interrogatione eſt cum multæ interrogationes ſub ſpecie unius involuuntur. Solvitur quæſtionum ſecretione, & reſponſionum ad ſingulas ſeorſum applicatione.*

Vt *Eſt ne mundus æternus & perfectus?* Hîc enim ſunt duæ quæſtiones ſub ſpecie unius: itaq;

ſi unicam adhibueris reſponſionem capieris: ſi enim dixeris *ita*, ſophiſta probabit mundum non eſſe æternum: ſi dixeris *non*, probabit mundum eſſe perfectum. Secernendæ ergo ſunt quæſtiones duæ illiſque ſeorſim reſpondendum eſt Huc quoque referri poſſunt quæſtiones deſiiſtine facere adulterium, an non? perdidiſtine cornua, an non? de quibus ſuprà in loco Homonymiæ.

Atque horum uſu præceptorum Dialectus facile elidet ſtrophas quibus ſophiſtæ veritatem illudunt.

FINIS.

Digitized by Google

Errata ſic corrigito.

P. 19.l,26.pro *eum* lege *cum* p 20.l.7 pro *decidit* lege *decîdi*. p.32.l.6.pro *indiviudis* lege *individuis*, p. 40.l.11.pro *pridie 1.Calend.* lege *prid.Calend.* p.48. l.8. pro *mutationum* lege *mutationem*. p.101. omiſſus eſt titulus capitis 13. qui hic eſſe debet *De oppoſitis*: p. 102.l. 18. pro *calor* lege *color*. p.110. l. 12. pro *ominoq;* lege *omninoq;* p.151.l.13.dele *ut* p. 201. l. 14.pro *ſinguli* lege *ſingulæ*. p. 207.l.13.pro *proſitionibus* lege *propoſitionibus*.p.208.l,25.dele *alter*. p.224. l.13. pro *poſſet ransformari* lege *poſſe transformari*. p.240.l. *8. pro habens,: form.* lege *habens form.* ſine interpunctione.eâdem pag. l.12. pro *conſeqeutis* lege *conſequentis* & adde *ad remotionem antecedentis*. p.251,l.16,dele *&*. p.286.l.25. pro *refutandis* lege *refutandus*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google